IORDANI BRVNI NOLANI CAMOERACENSIS ACROTISMVS,

seu

RATIONES ARTICVLORVM PHYSICOrum aduersus Peripateticos Parisijs propositorum etc.



Vittebergae

[redacted]

Apud Zachariam Cratonem.

ANNO. 1588.

IORDANVS BRVNVS NOLANVS PAriſienſibus & alijs é generoſiſs. Galliarum regno philoſophis ſenſatioris philoſophiæ dogmatum amicis, & defenſoribus.

S.



Vamuis mihi vrgentioribus alijs negocijs impedito, pluribus de hacmateria agere nō licuerit: nihilominus tamen aliqua me ex parte expectationi veſtræ ſatisfacere credo vbi non adeò vſq; breues quibuſdam articulorum adnexæ, alijs veró ex dictis veluti præfixæ, ſunt rationes, vt ipſis qui in diſciplinis mediocriter ſunt verſati, vel natura meliore ſpiritu donantur, pluſquam mediocriter ad veritatis obtutum exſuſcitandis ſufficere nequeant. Iis porrò qui Talpæ ſunt, in quo hæc eſſe poſſunt atq; meridiana lux. Valete.

FORMA EPI-
ſtolæ ad Regem.
HENRICO III. CHRISTI-
aniſsimo Gallorum Po-
lonorumque Regi,

IORDANVS BRVNVS
NOLANVS.
S. P.



Atura vociferante dicta-ta, ſenſu indicante exami nata, exactaq; ratione de finiente ſancita: quæ pau cis altior intelligentia cō-municauit, quæ multitudinis robuſtior error inſectatur, quæque in muni tiſsima veritatis arce conſiſtunt: ne in uidioſo contemptu ſordeſcere videā-tur, ne amplius inaudita cauſa taxen tur, ne qua impunè authoritate iniquius ſupprimantur, hæc in vniuerſitatum principe diſcutienda proponā-tur, per magis ad hoc militiæ genus idoneos exagitentur, ſubq; tuis (ô REX potentiſsime) prodeant auſpicijs. Vale.

FORMA EPISTOLAE ad Rectorem.

AMPLISSIMO, EXCELLENTISSIMOQVE DOmino. D. I. F. Parisiensis Academiæ Rectori Iordanus Nolanus. S.P.



Vi egregiæ humanitatis actus (amplissime Domine) quid officij in extraneum philosophũ impendi possibilis, est, quod pluribus ab hinc annis per huius vniuersitatis tum rectores, tum vniuersum professorum collegium mihi non fuerit effusissimè elargitum? Dum non modò communi quadam, qua erga omnes affecti estis humanitate, verumetiam certa haud vulgari ratione me vobis deuinxistis, vbi tum in publicis, tum & in priuatis lectionibus continua doctiorum adsistentia negocium studij mei concelebrastis, adeò vt nullus mihi de me minus quam extranei in hac alma literarum parẽte titulus occurrere potu

re potuerit vmquam. Iam vbi per alias vniuersitates mihi peragrare animo sedet, nec possim neque debeam velut insalutato hospite iter arripere, istũ articulorum numerum quasi pro memoriæ pignore discutiendum proposui: Vbi si mihi suadere possem vel vobis Peripateticam disciplinam magis quam veram perpetuò probari, vel plus vniuersitatem istam Aristoteli, quam isti Aristotelem vniuersitati debere, ab istiusmodi proponendis proculdubio abstinuissem, ne fortè quod in vestri gratiam atque obsequiũ præstare aueo, id ipsum ausu quodam hostili atque temerario, minorique (quã decere posit) reuerentia facere viderer. Cum verò obsequium nostrum (qualecumque sit ipsum) prudentiæ magnanimatiq; vestræ gratum futurum, vosque de omnibus æqui bonique consulturos minimè diffidam, fauorẽ super hæc cum excellentiæ tuæ, tũ vniuersi collegij tam certè mihi sum pollicitus, quam apertè omnibus manifestum esse potest, quod si qua (vel

noua) ratio nos excitet atque cogat, cuicumque liceat philoſophicè in philoſophia liberè opinari, ſuamque promere ſententiam : quodque ſi per me (cuius in hac parte non nihili fieri ſolet authoritas aut facultas) ad ſatis vbique terrarum, & apud vos conſuetam exercitationē) veritas fruſtra propugnanda exagitetur, conſequenterque tantô iam olim nota, confirmetur amplius, nihil certè præſtabo tanta Academia indignum. Si verò (quod magis ſperarim) per hæc exurgentis philoſophiæ primordia, aliquid quod poſteritas commendare & amplecti poſsit atque debeat, aperiatur, ipſum ſanè erit hac veſtra principe vniuerſitate dignisſimum. Vale.

EXCV

EXCVBITOR.
seu
IOH. HENNE-
QVINI APOLOGETI-
ca declamatio habita in audito-
rio Regio Parisiensis Academiæ in
fest. Pentec. An. 1586.
pro Nolani arti-
culis.



Redendi consuetudinem Illustrißimi, amplißimi, doctißimiq; DD. potißimam esse caussam qua ratio humana à perceptione eorum quæ sunt per se manifesta impediatur. in fine secundi de Sapientia declarauit Aristoteles: vbi quantam vim hæc habeat, leges (inquit) declarant, in quibus plus fabulosa atque puerilia possunt propter consuetudinem, quam ea quæ sensibus expreßius cognoscuntur. Sicut enim (adijcit illius commentator Auerroes) qui veneno vesci consueuerunt, ea perhibentur facultate præditi, vt tum ipso tamquam proprio cibo reficiantur, tum consequenter quod cæteris est vitale, atque medi-

cina. idipsum sibi exitiale experiantur. Porrò quibus à fato meliora animo sunt elargita dona, quique omnino dormientem animam non sunt adepti, citra magnam difficultatem arduumque negocium licebit quaque versum sese diffendens posse concipere lumen, si quandò ad arcem iudicij supra communis sensus atque fidei ambitum reuocati & inter duas contradictionis partes constituti iudices, ordinarii exuti affectus caligine, tũ intentius vtriusque partis rationes exaudiant & diligenter examinent, & æqua lance quidquid sensibus videtur apertum, vulgatum, concessum, constans, amicum, atque domesticum, sicubi in controuersiam fuerit reuocatum, cum eo quod videtur absurdißimum aduersario conferant. Ita enim fiet vt tandem coram deorum hominumq; iudicio non temerè, velut ignobile vulgus, seruile, atque stultum pecus, in profundo obscuritatis atq; ignorantiæ barathro, tamquam in meridiana luce & expressa veritate constituti, credidisse videantur: velut ij omnes quibus quoque persuasum esse potest diuinam vmquã esse posse veritatem quæ sensum, verèque naturale, & humanum iudicium subterfugiat atque reformidet.

Ego planè (auditores) videns, & ex animo videns longè lateque sophisticæ philosophiæ tenebras titulo & existimatione lucis contra veritatis fulgorem ita grassantes, atque præsumptuosißimè triumphan-

triumphantes, vt ab ijs vndique tamquam ab ipso sole veritas tamquam cymmeria caligo exploda-tur, exsibiletur, & ne ipsa quidem contradictio-ne censuráque digna tandem existimetur. diu hærere, méque continere coactus sum, ne opus tam (primo tamen aspectu) arduum in caussa a-deó neglecta suscipienda adoriter, quò pro virib9 laborarem è cathedra sapientiæ extructum ædi-ficium, tam benè ornatam, adeòq; strenuè mu-nitam Aristotelis similiumque authoritatem deturbare velle, èque fundo caliginis veluti sorde-scentem eruere veritatem. Porrò quis in pecto-re accensæ lucis ignẽ (ne erumpat in aerem) diu-tius occultum continebit? Iis igitur alijsque qui-buscumque non obstantibus, vincat tandem (si ita superis videatur) specimen veritatis, maiestas ve-ræ lucis, causæ dignitas, occasionis oblatæ com-moditas, spesque in eo sita, quod necessarium est re-rum vicissitudine fieri vt quemadmodũ alterna-tim diurna lux noctisque tenebræ mutuò succe-dunt, ita in orbe intelligentiarum veritas & error. Idipsum nostrorum etiam aduersariorum testimo nio comprobatur, si ei quod asseruit Plato in Cra tilo consimile in primo de Cœlo et mũdo & primo Metheorologicorum Aristoteles dicit. Necesse est (inquit) neque semel, neque bis, sed infinities easdem ad nos peruenire opiniones.

Nihil igitur impediat quod nouarum opinio-

num se-

num ſectator, aſſertor, atque probator habear, ſi quippè accuſatores mei penicius intueantur, videbunt non eſſe antiquam opinionem quæ aliquãdo noua non extiterit, ſicut & hæc ipſa cui nunc innitor, haud ita hoc tempore recens eſt & apud eos qui minus intelligunt contemptibilior, vt aliquando non habita fuerit antiqua, & apud naturæ rerum peritiores probatiſsima. Nemo ſeruus non ex antiquis regibus, nemo regum non ex antiquis ſeruis, quandoquidem ita res hominum longa ætas atque fortuna permiſcet. An non ſimiliter circa obſcuras, & illuſtres exiſtimabimus opiniones? Hinc mihi quantumuis in radice obſcuram atque ſalebroſam faciem contingat inſpicere, probabitur certè planta ſicubi tandem nobiliſſimæ arboris ſpecimen, illuſtriumque fructuum ordo deliteſcet, & vbi de principijs labor extitit, de fine glorioſior fructus tantò quidem excellentior habeatur, quantò ſingularius quippiam in veritatis ſemita perpaucorum attrita pedibus molimur enixius: vt inde exoptatius emergat quod longis maioribusque tenebris oppreſſum fuerat atque circumuentum. Quod ſi ita, cur nobis vitio vertetur quod auguſtiore lumine duce ab Ariſtotelis familia deficiamus, èque vulgaris philoſophiæ veluti turba in quandam quaſi ſolitudinem diuertamus, ſi quando eidem Ariſtoteli à veritate deſciuiſſe, àque magnis ſapientiæ parentibus ducibusque

busque præstantissimis degeneraſſe & defeciſſe licuit? Quod ſi fallacis ſenſus opinioniſque fauore, & argutuli ſophismatis induſtria, nec non malè ſuadis fidei imbecillitate ad tot, atque tantos errores intrudendos temporum iniuria viam ſibi ſtrauit, & ædificium vaſtum magis quam robuſtum velutiq; quoddã propugnaculum apparauit: cur non credam me ſaniore magiſque regulato ſenſu, viuis efficacibusq; demonſtrationibus & ipſiusmet ſe ſe explicantis naturæ vocibus. verum ingeniis noſtris exorientis luminis fulgorẽ prenũciare, indicare, aperire: ut pateat quam probatũ, uerum, conſtans, firmumq; ſit quod proponimꝰ et comendamus, quamq; alienum, inconſtans & infirmum, ſuòque ipſius pondere ruinoſum quod negamus atque deſpicimus, ſi in rerum natura nil hoc magis poteſt eſſe diſſonum, illo verò nihil vndique magis poteſt eſſe conſonum: quantumlibet enim ſub ſylenis merces precioſiſſima occultetur, ſub ipſa tamen apparenti impoſſibilium aſſertionum facie diuinum illud veritatis ſpecimen ſublateſcens, quod viliſſima credendi conſuetudo in multicurua obliquaque ſpeculi ſuperficie contorctum intuetur, in apertum, amotis ipſis fallacibus intermediis, euadat.

Interim malo coram oculis Deorum (cum quibus me videre arbitror) ſine regno gloriam, quã inglorium coram ſtultiſſima multitudine

regnum

regnum: dum illud etiam possum mihi tutò polliceri, quod opinio vera durabit, inq; sapientiorum ingenijs altas radices aget: fallax autem atque sophystica, licet ad modicum(quantumvis illud prolixum tempus appareat) triumpharit, leuissima etiam leuissimo vento tolletur, atq; decidet; siquidem in arido campo satum esse credimus quod in sola opinione, cui nullius veritatis fulcra subtenduntur, est fundatum. Licet igitur serior, validior tamen aliquando exsurget veritas ipsa quam sepè communis opinio conuellit: quò enim istam arguendo altius infodit, eò fortior tandem (peruersis etiam Genijs, atque misantropis spiritibus inuitis) erumpet in lucem:

Dicant igitur quicumq; velint assertiones nostras similes illis esse quales apud Lucianum in libro de veris narrationibus habentur, Dicant ipsam contra summorum probatissimorumq; philosophorum authoritatis rapidissimum torrentem adnatare, improperent nobiscum consentientum numerum exiguum, hinc enim nihil se suo videbunt argumento consequtos esse quo vel nos cum nostris insanire, vel se cum suis permultis sapere videantur.

Nihil certè prodest si opinione vulgi valeamus, si verè egrotemus, nihil obest si eiusdem sententia agrotantes habeamur, cum certè valebimus, quod tanto amplius in hoc proposito

magni-

magnifacimus, quantum plus secum habet momenti animi sanitas vel ægritudo, quã corporis: quandoquidē quanto hæc ab illa altius excellitur, eo dignius queritur, & gloriosius inuenitur. etiam si communis comendatio non subsequatur, vbi plerumq; magis infirmi atque stulti, se saniores atq; sapientiores esse autumant.

Et vt rem velut ab alio capite iterum exordiar: esto quod ego sicut & cæteri (siuè perpauci, siue extent perplurimi) decipiar, & errem. decipi tamen & erroris caligine teneri non credam: quid argumenti quesò erit si dum ex vna parte vnum video Nolanum proximum, præsentem, neotericum, neq; satis multitudini probatum, imò potius ingratissimum, vtpotè qui cum ipsa perparum propeq; nihil consentiat, cui etiam aliquod testimonium darè videtur cathalogus exiguus quorundam longè a memoria hominum sepositorum (siuè famam sapientiæ verioris, siuè sensum spectemus ipsum, et authoritatem) quales sunt Chaldei, Pythagorici & diuinorum quorundam, quorum sensus ad metaphoras a posteriroibus est contractus & deuolutus: ex alia verò parte tot sapientiæ humanæ protoplastes, cum adeò numeroso comitatu, qui de suggestibus vniuersis tot seculis, in tot regionibus, tam egregiè musis imperitarunt. iam magis ego vna cum paucis ad hanc contemptibiliorem partem

inclinem

incline, aut saltem (pro rata iudicij) ex æquo inclinare possim atque ad alterā. Ab hac sentētia quæ hoc posito veluti principio atque fūdamēto veluti necessario subsequitur, inferrique posse videtur, quæso supersedite, et permittite me meū adhuc suspensum retinere iudicium, quoadvsque alijs in phylosophorum schola probatis magis conuincar rationibus & argumentis, vt tutius tandem in eam fortasse deferar sententiam quam mauultis. Moram istam æquo animo vos mihi condonaturos ea ratione confido, quia vos non ignorare arbitror quod mihi potuit esse manifestum, vtpotè numerosius contubernium non esse ita perpetuò securius, adeoque firmum, vt ab vno indiuiduo interdum facile conuinci nequeat & dißipari: præsertim vbi multæ lites, multæ confusiones, rixæ multæ, innumeræ discordiæ, nil ordinatum, nil clarum, nihil munitum, & vbi præterquam in tituli, profeßionis, & principij vnitate, nihil conforme. Vbi præter quam si fuerint vel mercede conducti, vel aliquo iacturæ timore cōpreßi, omnes omnibus contradicunt, solus est quilibet, alterum nullum omnino probant singuli, & ideò omnes omnium, præterquam propriò iudicio, stulti, quo quidem quod nam maius falsitatis cæcitatisque indicium esse potest? Quid dicemus si ex hac alia parte conuincatur oppositum, vtpotè vbi consentientum, sequacium, vel (si mauis) sectariorum supercrescente numero, simile aliquid nec

queat euenire? Sordidi nimirum ingenij est cum multitudine. quia multitudo est, sentire velle. siquidem vulgi opinionibus & confirmatione multorum veritas non variatur, neque ideò doctum se quispiam habere debet, quod talis habeatur. Volens ergo fallitur qui temerè credit vbi temerè credere non cogitur, vbi non sine ratione adstipulandum subscribendũuè, vbi scientiæ nostræ, nostræ conscientiæ lumen non suffragatur. Illud ego considero quod beatius est citra opionem in rei veritate, quam citra veritatem in opinione sapere, presertim cum nimis usuveniat illud profiteri, quod nihil ad errorem pronius (ipso etiam vulgo contestante) vulgi opinione habeatur. non obstante quod non vbi de veritate definiendum est, sed vbi leges instituendæ, relligionum cultus sanciedꝰ, et eas quæ ad populorũ conuictũ faciunt deliberationes, vocem populi pro voce Dei habendam (vbi consenserit) esse censeo.

Hic igitur vbi liberè cõceditur opinari, lõgè latéque contemplari posse datur, ne frustra oculis sensꝰ et intellectus donati videamur, quos ad libitũ stultorũ præstigiatorum & ignorantum occludamus, inq; beneficum deum & naturã ingrati, effodiamus nobis, et abijciamus: quasi hæc dona cũ alijs numinum eorumdem donis consistere nequeant. & quasi veritati veritas, veraque lux luci veræ obsistere possit & aduersari: potentiã illam discretiuã

eretiuam & contemplatiuam quæ est de substantia, essentiaq; naturæ nostræ, immò nosmetipsos reformidantes refugiamus Huc diuinitatis in nobis insidentis memores, lucisq; in arce animi nostri residētis, cōsiderationis oculos aduertamus, vbi si rē (vt par est) propius inspectemus, illā certè notitiā nos videbimus esse consequutos qua nil pulchrius, nil dignius, nil veritati affinius, vel naturæ conclamanti magis consonum & aduersus fallacia sophismata & somniantium diuinatorum credulitatem firmius inuenitur.

Hinc videre licebit animum in immensum euolare potentem, vbi iā olim hoc in arctissimoq; carcere detentus fuerat, vnde quasi per rimas densioraq; foramina ad distantißimos stellarum orbes obtusam oculorum aciem intendebat: cuius etiam alæ (pro more) veluti cultro hebetis credulitatis incisæ non vltra densarum nubium velamen in aspectum amplißimi vniuersi expediebantur, quiq; propriæ technis phantasiæ fabrefactum inter nos, inuidentiumq; deorum gloriā medium plusquam æneum & adamantinum opinabatur intercedere. iam ex illo infinitæ mortalitatis, fatalis iræ, plumbei iudicij, incertißimæ salutis, partialis amoris, Erinnium æternarum, adamantinorumque ostiorum atq; cathenarum nusquam existentium horrore soluti, aerem atque spacium tot tantorumq; mundorum capacissimum

ſimũ vtpotè infinitum ſubit, quibꝰ redditus clarior cœlum penetrat, ſtellas diſcurrit, transuolat vltra imaginarias mundi margines, ipſiq; octauæ illius, nonæ illius, decimæ illius. & aliarum quas philoſophorum cæcitas mathematicorumq; vanitas ſibi finxit ſphærarũ, mœnia euaneſcunt. Hic corã omni ſenſu atq; ratione ſolertiſsimæ inquiſitionis clauibus clauſtra veritatis reſerantur. cæci illuminãtur, mutorũ exoluuntur linguæ, claudiq; pro ſpiritualibꝰ, mẽtiſq; progreſsibꝰ impediti ſolidãtur, et erigũtur, vbi nõminꝰ ipſis aſtra præſẽtiã. atq; ipſos aſtris efficit præſentes altius incumbens ſe ſeq; attollens ratio, q̃ ſi Solis Lunæ cæterorũ q; aſtrorũ per habi-tacula diſcurrerẽt, atq; regiones: ſiquidẽ ea ipſaq; huic quẽ incolimꝰ mundo ſimilia, quã diſsimilia, quã minora peioraue, aut q̃ maiora melioraue poſſint exiſtere apertiſsimè videbitur. Hinc ad meliorẽ numinis iſtius atq; matris (in cuius ſinu producimur, enutrimur, atq; recipimur) contẽplationẽ promouemur, ne vltra eam ſine anima corpus eſſe exiſtimemus, aut (vti mẽtiuntur) corporaliũ ſentinã ſubſtantiarum. Manifeſtum quippe erit quod ſi orbem lunæ aliarumq; ſtellarum incoleremus, in loco vel ſimili vel fortè peiore degeremus, vt & tam bona, atq; fortaſſe meliora in ambitu circumferentiæ viſibilis inueniuntur: quemadmodum diuerſas perfectionũ graduũq; ſpecies in ijs indiuiduis, quæ ſunt

apud nos possumus agnoscere. Hinc tot stellas, tot que sidera intelligimꝰ essenumerũ numinumdeci es centenorũ millium et vltra contẽplationi primi, vniuersalis, infiniti, æterni efficientis adstantium. Haud vltra ratio cõpedibus phãtasticorum est adstricta mobiliũ, non vltra numini octo, nouẽ, decẽ q́; motorũ mancipatur. Noscimꝰ enim vnum cœlũ, ætheream regionẽ & immẽsã; in qua vt hoc magnificũ astrum, quod tellurẽ discimꝰ, ita & alia infinita proprias ab inuicẽ distãtias obtinentia, ad perpetuam vitam atq; lumen proprijs consistũt librata põderibus. Hæc illa sunt flammantia corpora, que gloriam maiestatis Dei & opera manuum eius adnuntiant. Hinc ad infinitum infinitæ causæ effectum detegendum promouemur, & ad diuinitatis contemplationem non tamquam extra, seorsum, atque longè à nobis, sed in nobis ipsis (vtpote vbique integrè positã) manuducimur, quia scilicet hæc magis ipsa nobis quã ipsi nobis esse poßimus, intima est: si verè ea est omnium essentiarum & totius esse substantificum, essentialißimumq́; centrum. Unde non minus ab aliorum mundorum cultoribus apud nos, quam à nobis apud ipsos esse perquirenda ducitur. Non etenim nos minus Lunæ & cuicumq; astro, astrum cœlumq; sumus, q̃ꝗ vniuersa ipsa nobis esse poßint. Hinc tandem è nobis vnus, quantumuis solus, quantumlibet sibi

Musis

Musisq; clamans, canens, atq; sapiens, aduersus generalis ignorantiæ myriades tryumphabit. Interim decernendi iudicium non ad edita conuitia, inanes somniantum authoritates, non ad lumine captorum testimonia, sed ad vim regulatioris sensus & ad illustrioris ingenij obtutum: si de lumine deq; colore verè vnius videntis acquiescendum est iudicio, quamuis omnium qui fuere, sunt, & erunt cæci, relamet ignorantia: siq; stultorum omnium numerus vnius sapientis prætium atq; momentum nunquam exæquabit. Hæc aliaq; plurima (quæ dicere prætermitto) cum ita se habeant, dubitemus inquam dubitemus interim, quoad liberius, atq; sincerius causam agere liceat. Neq; obstent Aristotelis discipuli, quos quanto ipso Magistro oculatiores esse non credimus, tanto magis perperam ab hoc nostro sensu dicimꝰ abhorrere. Minꝰ enim proprio duce videre possunt qui (exempli gratia) vacuum ipso audito nomine contemnunt, quod Aristoteles multis refellere nititur argumentis. Infinitam vniuersi molem & dimensionem istam vt manifestè erroneã respuũt, vbi Aristoteles quasi contra egregiã causã pro viribus armatur. Terræ quietẽ de qua stultos tãtũ dubitare stultissimi omniũ existimãt, multiplici fulcro, pro contra asserẽtium grauitate dignã existimauit Aristoteles, Ad hãc enim causã pertinet quod medietas secũdi, et totꝰ

quartꝰ de Cælo et mũdo liber enixè cõcludere cõ-tẽdit. Nos autem ſuper hæc credimus cauſſã Ariſtotelicis pugiumculis contemptibilem, & eorum duci moleſtiſſimam, ſatis omnibus tandem melius conſiderantibus optimam futuram. Quod ſi hinc accidit ut Peripateticis omnibus opponar, eosdem (vtpotè meæ cauſæ aduerſarios) formidare debeam, eos maximè omnium formidabo qui magis fide, famaque illius doctrinæ, quam eiuſdem intelligentia commoti, tanto plures orationes quanto pauciores rationes effundent. Vt vt autem ſit non propterea ab incepto deſiſtam, qui non huc me contuli vt comender, ſed vt quibus rationibus damnari poßim appareat, non importunè oppoſitam partem negaturus, ſed rationes quibus aliter ſẽtire cogar inquiſiturꝰ. Quamuis nõ ignorem maxima ex parte eos qui ad diſputandum publicè ſe conferunt, magis victoriam gloriamq́; exaucupaturos, quam veritatem ſtudioſè indagaturos prodire. Nil ominus tamen ſiue ex altera ſiuè ex vtraq; parte, ſin minus ex neutra error ſit aliquis, omnibus certè ſperandum eſt, ſtudium noſtrum minimè vanum futurum. Ex diſputatione enim fiet vt qui in principio inſolentius falluntur, tandem veritate ſæpius animum refricante coacti, ſenſim á falſitate deſciſcant. Quod ſi intelligentiæ lumine non ſubitam meſſem recipimus, ſed tempore, ad maturitatem ia-

cta

cta semina profectura expectanda proponuntur, idipsum sanè non citra naturæ ordinem accidit, quæ non subitò sed certo temporum discursu largitur vniuersa. Vos igitur interea obsecro & obtestor vt (cum maximum scientiæ impedimentum, immò ipsissima ignorantia sit, putare se scire, vnde sophista non inquirat vltra, à contradictorio aures auertens, & ingenium) vt nos in eo conueniamus principio, nempè saltem ad tempus nos nescire existimemus, supponamus, singamus; vt hinc fortassè aliquid prudentiæ luminiq; nostro possit accedere, dum vel aduersariorum seu alienarum, vel amicorum seu propriarum tenebrarum aut saltem incertissimæ lucis perspecta veritate, aut vltrò confirmemur, aut cæcitatem nostram agnoscentes reformemur, latescentibus sub lucis specimine tenebris excussis.. Quoadusque igitur visum sit quid quisque verè possit, communiter omnes constituti iudices vt sinceriorem sententiam producamus, de contrarijs assertionibus vtramque existimemus esse possibilem. Vos igitur ingeniosissimos scientiarum Professores exoro, vt coram veritatis maiestate ita rem gerere videamini, vt non tam iniqui & rigidi actores, quam æquiores pacatioresque iudices in causa videamini, neq; tã orationis feruore, quam rationum pondere atq; grauitate, vel confirmare vestram, vel alienam conuellere seutentiam videamini. Dixi) (8

CATALOGVS ARTICVLORVM.

ARTICVLI DE PHYSICO auditu.

In primum librum.

1 Natura eſt ſubiectum ſcientiæ naturalis Ariſtoteli.

2 Duplex cognoſcendi ordo Ariſtoteli eſt in ſuo proœmio Phyſicus & Metaph.

3 Vnum ens infinitum Xenophani, benè.

4 Sphæricum eſſe non tollit infinitum eſſe.

5 Ab hoc nil effluit, in hoc nil influit.

6 Licet ſecundum multas rationes ipſum accipere.

7 Non neceſſariò ſimplicia ſunt compoſitorum principium.

8 Materia prima Ariſtotelis magis eſt logica quam phyſica.

9 Conſideratio principij formalis currit cum ſuo materiali.

In ſecund. librum.

10 Naturæ nomine dignior eſt materia.

11 Vix inuenies medium conſiderationis inter phyſicam et mathematicam.

12 Lo

12 *Locus & tempus, necessariò sextum causæ genus complent.*

13 *Natura non errat.*

14 *Natura non sortè fortuna agit.*

15 *Necessitas naturalium æqualiter respicit omnes causas.*

In III. lib.

16 *Malè definitur motus. Actus existentis in potentia.*

17 *Motus non semper est actus imperfecti, nec actus imperfectus.*

18. *Motus species adæquant numerum prædicamentorum, vel superant.*

19. *Motus melius definitur per alteritatem, inæqualitatem, non ens.*

20. *Motus non magis in mouente, quam mobili, ab, & in vtroque.*

21. *Argumentum infiniti ex numero indeficiente, non soluitur.*

22. *Non est corporis ratio, planitie terminari.*

23. *Optimè Anaxag. dixit. Infinitum se ipsũ firmare.*

25. *Infinitum quoque dicitur cuius, & cui nihil est extra.*

26. *Impoßibile est Aristoteli, & alijs finitum vniuersum probare.*

27. *Infinitũ dicimus, et vt materiã et vt actum*

28. *Translatio corporum indicat locum esse spacium.*

29. *Loci non est continere, sed terminare.*

30. *Locus neq; materia est. neq; forma aliquo pacto.*

31. *Neq; centrum, neq; peripheria locus est sphæræ.*

32. *Partes sphæræ non magis mutant locum rectà quam circulo.*

33. *Idem est vacuum, locus, spacium, plenum, & Exiodi Chaos.*

34. *Vacuum est vnum infinitum.*

* *AEquiuocè dicitur de recipiente, & terminante.*

35 *Non potest esse motus si non sit vacuum.*

36. *Idem subiecto est vacuum continens & disterminans.*

37. *Vacuum est à corporib. separatum, ipsis imbibitum, vnum continuum.*

38. *Tempus non est in cœlo subiectiuè, sed potius in Tellure.*

39. *Malo motum mensurare tempus, quam tempus motum.*

In V. lib.

40. *Quiescant omnia, nihilominus erit tempus.*

In VI. lib.

41. Con-

42. *Contiuuum ex indiuisibilibus componitur.*

43. *Tempus non habet continuitatem à motu vel magnitudine.*

* *Magnitudinis & temporis non plus eædem diuisiones, quam magnitudinis & numeri.*

44 *Infinitas non potest eodem pacto esse in tempore & magnitudine.*

In VII.lib.

45. *Ex principijs Aristotelis motum rectum sequitur comparabilem esse motui circulari.*

In VIII. lib

46. *Latio non potest ostendi alijs motibus prior.*

47. *Lationis continuitas pendet à continuitate alius motus.*

* *Cur nullum motum alium ab ea esse continuum dicit Aristoteles?*

49. *Est quidem primus motor, sed non in ordine orbium vel stellarum.*

48. *Pueriliter dicitur circumferentia mundi præcipua sedes primi motoris.*

* *Primus motor extra terræ circumferentiam, non est.*

* *Præcipua eius sedes est in centro telluris.*

50. *In toto physico auditu ne vna quidem adducitur demonstratio.*

ARTIC.

ARTICVLI DE COELO ET MVNDO.

In primum librum.

51. *ARistotelis nulla ratio concludit vniuersumesse perfectum.*

52. *Impoßibile est esse Peripateticum, et probare vniuersũ esse perfectũ.*

* *Vniuersum nobis nec perfectum, neq; imperfectum est.*

53. *Ridiculè ex differentia dimensionum infert lationum differentiam & numerum Arist.*

54. *Sphærica quidem sunt astra, sed non ad Geometricam amußim.*

* *Ex Sphæricis corporibus nullum potest esse simplex.*

* *Latio recta est partium non benè constitutarum, & quodammodo præter naturam.*

55. *Circa medium terræ multipliciter eius circumferentia agitur.*

56. *Motus simplex qualem imaginantur Peripatetici nullus est.*

57. *Præter aerem, vel atomos non est simplex mobile.*

59 Co-

58. Corpus compositum non mouetur, secuncundum prædominantis elementi motum.

* Immo nulla est simplicis elementi motio iuxta tres illas differentias à medio, ad medium, & circa medium definitas.

59. Nulli sphærarum, seu astrorum, seu corporum, absolutè grauitas inest aut leuitas.

60. Omnia in loco suo circulariter mouentur, aut manent: rectus autem motus partibus est accidentarius.

61. Vbi non est motus circularis in natura, est eius vel similitudo, vel appetitus, vel inquisitio, & adpulsus ad ipsum.

62. Experientia non solum ex cometarum crinibus, comis, barbis, & caudis, sed etiam ex omni parte demonstrat ignem non magis sursum, quam quoquo uersum moueri.

63. Grauissimum, et leuissimum esse, & medias secundum rationes se habere omnibus corporum partibus contingit.

64. Totum definit lationem partibus secundum rem, & secundum rationem, non autem partes toti.

LIX. 65. Vt tellus est ingenerabilis, incorruptibilis, & inalterabilis, ita & astrorum reliqua.

Pro-

66. Profundiori igitur ratione sedes incorporeorum Deorum statuenda.

67. Per æthera intelligimus astra, non ignem, non aerẽ, vel quintã aliquam essentiam.

LX. 68. Mundus, id est vniuersum, est infinitum: Mundus idest astrum, non ita.

69. Definimus ergo vniuersum; substantiam corpoream infinitam, in spacio infinito.

70. Vniuersum est infinitum vnum continuum, seu magnitudine.

* Mundi vero sunt multitudine seu numero infiniti.

71. Ergo extra singula astrorum seu mundorum est aer & spacium infinitum, extra verò vniuersum, nihil omnino.

* Præter infinitatem, alia ne fingi quidem potest causa qua extra vniuersũ nec locꝰ, neque plenum, neque vacuum, neque tempus detur.

LXI. 72. Iupiter corporeum mundum atque sensibilem incorpereo atque intelligibili mũdo secundum localem situalemque differentiam definit Arist. dicens illud esse extra hoc, suprà hoc, continens hoc.

LXII. 73. Incessabilis motus non diuiniora, sed infirmiora ostendit corpora.

* Nusquam idem est locus vel terminus propriè, vnde incipit & vbi desinit motus.

Mundus

LXIII. 74: *Mundus necessariò est genitus, & corruptibilis: Vniuersum verò ingenerabile est & incorruptibile.*

75. *Quod ergo ex inordinato factum est ordiordinatum, mundus est.*

76. *Potest sanè aliquid genitum esse, quod minimè corrumpatur.*

77. *Cum hoc ergò quod astra dissolubilia sunt, stare potest quod non dissoluantur.*

IN II. DE COELO.

LXIIII. 78. *Cœlum cuius motus est incessabilis, aer est.*

LXV. 79. *Astrorum (si Dij sunt) nullus est quem primum dicere possis.*

* *Primus Deus est infinitus spiritus omnia penetrans, viuificans, comprehendens.*

80. *Tellus astrum est nō minus quam aliud cœlo affixa.*

81. *Corporum quod simplex est & incompositum quale subsistit aer solus (consistentibus cæteris) ipsum nullo pacto generabile vel corruptibile est.*

* *Atomis verò conuenit non modò esse in cōposito, sed & componi.*

82. *Ab infinitudine vniuersi nō malè suscipitur ratio qua astra indifferenter vndique se habentia, non ab extrinseca, sed intrinseca opor-*

ea oportunitate certā sibi definiant lationē.

* Astra omnia ex quatuor vulgatis elementis sunt composita.

83. Horum tamen quædam dicuntur ignes, quia per ignem sunt sensibilia, vt soles qui scintillant; quædam aquæ super cœlos vt tellus, luna, & quæ circa hunc solem sensibilia, et circa alios distātiores inuisibilia.

LXVI. 84. Ignis purus, simplex, & absolutus nusquam est, sicut & extra humidū nutrimentum nusquā est apud nos. et potius aqua absoluitur ab igne q̄ hic ab aqua.

85 Vbiq; igitur sicut in hac vbi sumus astrorū synodo, circa solem circumcursant tellures, Sol verò vel minorē circulum describit in medio, vel manet.

* Huc pertinet considerare quodā modo quod ignis alitur & consistit statu, aquæ verò motu.

* A sole æqualiter calefiunt, & bene habent astra aquea distātiora, atq; propinquiora.

86. Poeticis similes figmentis sunt rationes quas adducit Arist. pro hoc quod quædam citius, quædam tardius, quædam paucioribus, quædam pluribus agantur motibus.

* Nullius præter terram astri possumus motus differentias definire priusquam illius sicut huius reddamur incolæ.

LXVII. 87. *Astra vltra Saturnum continuè sensibilia, soles sunt.*

88. *Circa illos cum sint planetæ, puta tellures, non possunt esse sensibiles. sicut nec illis regionibus præter hunc Solem qui igneus & amplissime scintillans est, aliquid non est sensibile, ex ijs corporibus est ignis & minus intense lucidis quæ mouentur circa ipsum, putà Tellus, Mercurius, Iupiter etc.*

* *Ita etiam pueriliter imaginaremur illos soles per suas tellures nobis debere eclypsari, sicut et hunc solē per istas illis telluribus quæ ad illam synodum spectant. Videmus etenim hunc proximum solem nec simpliciter, neq; ad totum hoc astrum eclypsari*

LXVIII. 89. *Virtute vel animæ illius efficaciter principia contraria comprimentis, seu cōtinētis. aut infinitè diffusi et insiti illius vitæ spiritus, qui anim amundi dicitur, immortalia seruantur astra. Vel eadem eorundem astrorum substantia continuè reformatur.*

* *Motus ijs, cum sit a natura quæ est anima, vel a dicto spiritu, quē velut animæ omnis animam intelligimus, citrà lassitudinem est atq; laborem multo magis quam nostri motus naturales*

Quis

90. *Quis sanæ mentis conditionem Telluris, cæterorumque astrorum, nostra deteriorem existimabit quo ad corporis & animæ dignitates?*

91. *Maximè sollicitos atque vanos oportet eos esse motores, qui adeò vasta corpora vt potè tantos mundos in substantia adeò rarissima, subtilissima, nulla, & veluti opinaria illius quintæ essentiæ infixos, ab extrinseco, & alieno mediante circumuersent, & tamen minuscula & fragmenta quædã ad ambram & magnetem per uim spiritualem, formamque insitam moueantur.*

LXIX. 92. *Circa mensurã motus illorum Geometria mentitur potius, quam metitur.*

93. *Potius à compositione quam à simplici principio, motus species definitur.*

LXX. 94. *Aut non magis aqua est supra terrã, quam terra supra aquam, aut certè aqua medium astri huius obtinebit.*

LXXI. 95. *Ergo præter aerem nullum corpus est, alterum conuexa continens superficie.*

LXXII. 96. *Manet ergo vnum infinitum, immobile, et informe in quo aer iuxta extrinsecæ figuræ modulum omnia proximè conprehendit.*

Ad motus velocitatem nobis nil confert magis si astra sint sphæricæ quam alius cuiq

libet

libet figuræ: multò, & incomparabiliter minus ijs quibus hæc infixa & inclauata orbibus imaginantur.

97. *Nullum astrorum est in medio, quia vniuersum vndiq; æquale.*

98: *Ideo in quocumq; astro huiusmodi inueniemus alios illi definitos polos. quandoquidem non est e fixis stella, quæ alicubi polus non habeatur hoc nostro vel exactior, vel ita, vel prope exactus?*

IN TERTIVM LIbrum de Cœlo.

LXXIII. 99. *Materia tertij libri neq; conuenienter continuatur secundo, nec ipsi conuenienter hæc quæ quarti est.*

100. *Ibi contra Platonicas superficies euaginans gladium atq; vibrans, findit sibi vultum & suam primã materiam sustollit.*

IN QVARTVM Librum.

LXXIIII. 101. *Graue & leue non dicuntur de corporibus naturalibus naturaliter constitutis.*

102. *Etherogeneis telluris partibus vniuersis &*

partium homogeneis motus qui primò & per se conuenit, est circularis.

103. *Partium telluris nulla est aptior centro vel circumferentiæ quam alia.*

* *Astra omnia quæ fixa dicuntur, vltra sensibiles planetas per se lucentia sunt, vt per se lucet hoc prope nos putà sol.*

104. *Contra naturā est ergo quod dicitur telluris omnes partes appetere definitè centrum, nō minus enim adpellunt vicissitudine quadam aliò.*

105. *Est quippè & animal quoddam terra.*

106. *Cuius partes neque locum neque subiectum aliud agnoscūt à suo toto, cui naturaliter & indiuidualiter congruunt.*

107. *Difficile igitur est videre partium naturalem aliorsum extra suum totum adpulsum.*

108. *Impossibile est sphæram vllam perpendicularem rectumuè subire motum.*

LXXV. 109. *Ex principijs Peripateticis sequitur grauissimum omnium esse aerem.*

LXXVII 110. *Graue & leuè nobis est respectiuè & rationaliter, non autem absolutè & naturaliter.*

KXXVII. 111. *An non omne elementi genus perpetuò obtinet superficiem semidiametrorumque omnium partes?*

* *Non ne quod nobis est ascendens alijs est descendens & è conuerso?*

Ex

LXXV. 112. *Ex principijs Peripateticis etiam sequitur non simplex elementum obtinere centrum, sed compositum vt metallum.*

LXXVIII. 113. *Præter aerem non est elementum quod à compositione absoluas.*

114. *Hunc autem huiusmodi præterquam circa globos non agnoscimus.*

LXXIX. 115. *Ab aere peregrinis impreßionibus affecto male de aere philosophatur Arist.*

116. *Non minus naturaliter è fundo emergit, quam fundo immergitur aqua.*

117. *Ex positis à Peripateticis concludas oportet aliam esse naturam illius ignis qui creditur in concauo orbis lunæ, ab ipso qui est apud nos & generatur in aere.*

LXXX. 118. *Idem appulsus partis ad locum proprium contendentis grauitas dici potest atque leuitas.*

119. *Ad Antipodes nostros & aliarum stellarũ incolas ad certum punctum ætheréæ regionis relationes vicissitudinales ipsius sursum atque deorsum necessariò nos subire constat, quemadmodum si terram circumeas, ipse tibi oppositis pedibus ambulabis.*

120. *Grauius nobis est quod plures sub eisdem dimensionibus partes comprehendit.*

PY-

PYTHAGORICÆ, ET PLATONICAE PERIPA-teticis imperuiæ assertiones quas probamus, & defendimus.

DE NATVRA.

Natura est sempiterna & indiuidua essentia. 2. Diuinæ prouidentiæ instrumentum. 3. Per insitam sibi sapientiam agens. 4. Quæ quamuis ad certum finem omnia dirigat, nulla tamen imaginatione consultationeué ducitur. 4. Ab imperfectioribus ad perfectiora progrediens mundum efficiendo, se ipsam quodammodò efficit. 6. Indefatigabilis. 7. nihil eorum quæ habet sorte nacta. 8. Certis rationibus seminalibus certas necessariò formas vbique explicat. 9. Quibus tamquam principijs atque regulis motꝰ omnes qui per se indeterminati sunt certo quodam tenore definit, & librata quadam moderatione multiforme quidem ducit ad opus, vniformi tamen ordine. 10. Ipsa est ars viuens & quædam intellectualis animæ potestas non alienam sed propriam, non extrinsecus sed intrinsecus, non electione tali sed essentia tali materiam perpetuò figurans: vtpotè non sicut statuarius

externè

externè cum discursu, & instrumento operatur, sed perindè vt Geometra dum vehementer quodã affectu figuras imaginatur, spiritum eius intimum imaginatione mouet, atque figurat.

DE VNIVERSO.

V*Niuersum(ni velis dicere duplex corporeum & incorporeum & horum vtrumque infinitum) est vnum infinitum ex incorporea & corporea, sensibili insensibiliq; substantia consistens. 2. Omnium capacissimum & perfectissimum ens. 3. Cuius intelligibilis substantia tota semper & vbique est. 4. Quinimmò ipsa est ipsum vbique. 5. Nullam diuisionem admittens 6. A motu aliena, & consequenter suprà prouidentiam constituta. 7. Ipsum quod est corporeum neq; moueri neque manere satis vmquam commode dixeris. benè autem immobile. Item quod idem permanet & mouetur. 8. Ipsum infinitum cum sit, totũ quoddã nõ est, neque ipsius aliquid est pars. 9. Omne intellectum, & omne ens extra casum & rationem existens. 10. In eo tria licet contemplari Legem, Iustitiam, & Iudicium. Legem in mẽte diuina quæ est ipsa rerum omnium dispositio, Iudicium in mente animæ mundi ad diuinæ legis normam singula decernente, Iustitiam in omnium adpulsu atque voluntate singula iuxtà animæ mundi decretum exequente.*

DE MVNDO.

MVndus iste sensibilis (quia finitus) respectu vniuersi, vnius, entis, infiniti, nulla est pars. 2. ideo recte Xenophani & Parmenidi non ens. 3. Platoni in maligno positus, non tamen malus, neque (vt Gnostici volunt) male institutus. contrarietatem a se non valens expellere. 4. interim animal est a mente dependens perfectissimum propriam sicut & nos animã habens. 5. Deus quidam ad intelligibilis mundi productus exemplar. 6. Nec separatus ab efficiente suo neque commixtus illi. 7. Secundum esse totũ à Deo dependens simul totus fit semper, & simul semper totus factus. 8. Ideo siue ipsum temporaneum credas, siue æternum mentis oculis complectaris, ex nihilo à prima mente productus intelligitur aut produci. 9 Eius materialia principia sunt Terra, seu Atomi, seu Arida, Abissus seu Styx, seu Oceanus, Spiritus, seu aer, seu cœlum, seu firmamentum 10. Eius prima accidentia (si tamen accidentia dici possunt) sunt Tenebræ & lux ex quibus subindè est ignis, & caligo in genere, quæ nobis sunt secundaria elementa.

Erra-

20

Errata corrige

pag. verſu.

6. 6. ponæ.
9. 6. id genus.
10. 12. logicum & morale diſtin.
13. 13. conſiderationem elici poſſe.
14. penul. ibi notat ord.
16. 3. contracti ad natur.
25. 6. potius aliis.
37. 10. apud nos globis.
49. 10. ſenſu indicante.
62. 13. ſemper immobili.
65. 5. licet nulla ſit exparte.
66. 5. differt, velocius enim tranſitur ſpacium modicum quam multum: aut quia quod eſt in medio & cedere debet eſt differens, facilius enim etc.
17. ita ſpacium.
71. 3. ſed & cum dimenſ.
9 tum ſeparatum.
79. 9. rei ætas.
96. penul. motor vllus erit primus, quam.
vlti. cuiusque mobilis motor propria.
105. 17. Geometricam.
114. 7. conſtat, ignea.

Scribatur perpetuò pro Methaphyſica, Metaphyſica.

ARTICVLI DE NATVRA ET MVNDO A NOLANO

in principibus Europæ Academijs propositi: quos Ioh. Hennequinus nobilis Parisiensis sub eiusdem fœlicibus auspiciis contra vulgaris & cuiuscumq; aduersariæ Philosophiæ professores triduo Pentecostes in vniuersitate Parisiorum defendendos euulgauit.

Breuibus adiectis rationibus.



IHIL quod ad vniuersalem fidem atque relligionem infirmandam faciat, dicturus & assertiuè vmquam definiturus, neque ad certum philosophiæ genus pro ea quæ secundum humanam rationem est veritate anteponendum statuendumque laboraturus, sed vel ad (illustrioribus philosophiæ professoribus

 dignam)

dignam) exercitationem: vel vt quanta sit adeò vulgatæ atque in ore plurimorũ celeberrimæ Peripateticorũ disciplinæ firmitas vel infirmitas, elucescat: Iordanus Brunus Nolanus subsequentes vniuersis Europæ Academijs discutiendos proposuit articulos, & ego Ioh. Hennequinus Parisiensis sub eiusdem clypeo in omniũ literarũ parente Lutetiæ vniuersitate, publicè defendendos exposui. Eos ita ipsi ordinasse placuit, vt horum series illi seriei perpetuò respondeat, quæ in libris capitibus atque sententijs scientiæ & historiæ de natura apud Aristotelem comperitur.

ARTICVLI CIRCA PRIMVM PHYSICI auditus librum.

ARTICVLVS I.

De subiecto scientiæ naturalis.



VSQVAM Aristoteli naturalia, corporea, mobiliaque entia esse subiectum scientiæ non intelligunt Peripateticorũ plurimi: neque Aristotelem ipsum vbique naturam exclamantem exaudiunt.

ARTI-

ARTICVLI PRIMI RATIO.

HIC nondum Aristotelicam, sed Aristotelicorum ferè omnium notamus in propriis principijs ignorantiam. Hîc illud est in memoriam reuocandum, quod cum inter philosophos quæritur, an aliquid sciatur, alijs partim, alijs verò prorsus affirmantibus vel negantibus, ad veram perpetuò respicitur scientiæ rationem, quæ cum illis primo posteriorum analiticorum libro definita sit, nimirum de subiecto naturalis scientiæ, seu contemplationis naturalis inquirentibus, non obtrudendum est corpus, sensibile, mobile, naturale. Si subiectum scientiæ debet esse æternum, immutabile, verum, constās, simplex, vnum, semper ipsum, vbique ipsum. Neque etenim vniuersum ipsum, quatenus vnum, vniusque naturæ, absoluta substantia cōcipitur: Sed certè ipsa vniuersa natura, seu substantia, scientificæ (si qua est) obijcitur contemplationi. Illa inquā quæ principium motus omnis est Aristoteli. Illa quæ est substantia eorum, quæ in seipsis motionis principium admittunt; Non hoc cœlum, non hæc astra, non aliquid cer-

quid certè tale, quo haud quidem scibilis, sed sensibilis opinabilisue sibi vendicat ratione͂. Hinc subiectum scientiæ demonstratiuæq́; conclusionis perpetuò specifice singulariterq́; sumitur, nusqua͂ verò pluraliter atq; numeraliter: Siquidem de sole secundum speciem, aut certè de solis natura, de animalis natura, deq; animæ natura, quandoquidem de solibus, de anima, deq; cœlo, historia perpetuò dicitur esse, non scientia. Cur igitur contra Aristotelis morem, & omnium philosophorum dicendi consuetudinem, ens mobile, ens naturale, corpus mobile, corpus naturale & similia scientiæ subiectum astruunt? Cur vbi quæritur an de rebus naturalibus sit scientia, concorditer omnes in eandem feruntur affirmatiuam, vt postmodum contra eos vbique adeò Aristotelica reclamante præceptione, sophistarum more, ad excusationibus & glossematibus colorandam atq; pingendam potius, quam ad negandam falsissimam conuictámq; sententiam recurrant: atq; ita quod excusare nequeunt, tam bene velare co͂tendunt, vt eorum pertinacis ignorantiæ turpitudinem illi soli non videat, qui nihil omnino vident. Quid enim (per Deum immortalem) aliud est dicere, de ente mobili secundum rationem for-

onem formalem, vniuersalem, communem, quod eius essentiam, et simplicẽ quidditatem, non ratione qua compositum, subsistens, particulare, materiale scientiæ subiectum esse, quam docere non ens mobile, sed entis mobilis naturam esse, quæ scibilis valet subire rationem? Quid inquam aliud est isthæc loquẽdi forma, quã irresolutissimi seq; ipsum destruentis & abnegãtis indicium ingenij. Quid insuper aliud est, dicere de hominibus esse scientiam, secundum specificam & vniuersalem rationem, quã dicere non de hominibus sed de natura hominis. Non ne modificationes istæ de multis faciunt vnum, de plurali singulare, de naturalibꝰ naturale, de naturali naturã? Cõsiderate an Aristoteles docuerit vnquã dicere de Socrate, de Callia de Platone, esse scientiã, secũdũ quod homo, de homine esse scientiam secudum rationem specificam, quoad eius substantiam, essentiam, naturam: an potius sint quorundam Scoticolarum voces, atq; similium cucullatorum? dum verius Peripatetici dicant, nec de Socrate, nec de Platone, nec de Ioue, neq; de homine neq; de dijs, aliud esse præterquam historiam: sed de natura hominis, deq; natura deorum, (si qua fortè apud nos) tanquam de vniuersalibus scientia dicitur. Consideretur an Peripateticorum

more, ſcientiæ ſignificationem, per communiter, propriè, & propriiſsime, an captiunculatorũ more diſtinguere conſueſcant. Sic illi de ſoccis, de cicatricibus, de præputijs: Grammatici rectè diphtongandi, accentuandi, & punctuandi, caupone rectè coquendi, atque ſophiſticè propinandi ſcientiam dicunt. Nec minus agaſones beſtiæ recta domum redeunti ſcientiam tribuere poſſunt. Perpendite an iuxta philoſophorum principum conſuetudinem diſtinguentes dicant, particulare & mobile non primò, non immediatè, ſed mediatè atq; ſecundò ſcientiæ ſubijci. Cũ ipſius Ariſtotelis veſtigijs inſiſtentes animaduertere debent, ſenſibile, mobile, particulare, nec primò, nec ſecundò, nec mediatè, nec immediatè, nec per ſe, neq; per accidens, eſſe poſſe ſcientiæ ſubiectum, quemadmodum quod eſt per ſe ſenſibile, ne per accidens quidem poteſt eſſe intelligibile, quod eſt per ſe particulare & mobile, nec per accidens poteſt eſſe vniuerſale & immobile. Vnde nunquam Ariſtoteles in particularibus, ſcientiæ nomine vſus eſt. neq; vti docuit primo poſteriorum Analiticorum libro inquiens.

Qui quod omnis triangul9 habet tres angulos ſciuit, quod hic, qui eſt in ſemicirculo eſt triangulus, ſimul inducens

ducens cognouit. *Neq; vti docet vbiq;, vbi dum aliquid demonstratiuè sillogizare contendit, siue circa naturalia, siue circa diuina, à physicis terminis vbiq; abstinens, ad Mathematicos adsumendos deuoluitur, quò non de subiectis, sed de subiectorum natura, contemplatiuam speculationem esse insinuet. Qui igitur de mobili, de corpore, de naturali, immo de mobilibus & naturalibus scientiam esse dicunt, ijdem eam aiunt esse secundum quod & quatenus, ac si dicant, obliquê, excusatoriè, reflexiuè, conuersiuè, mediatè, & communiter loquendo, impropriè, indirecte, secundario & per accidens: ijdemq; non sunt philosophi, imo nec Peripatetici, nisi secũdum quid, obliqui, reciprocales, indirecti, secundarij, accidentales, & improprij, propriè autem captiunculatores, fugacißimi, & transuolæ pugiunculi.*

IDEM EX CONDITIONE SVBIECTI INSInuatur.

HIS *ad maiorem elucidationem (quando ita circa istiusmodi quæstiones, fimbrias maximè dilatare consueuerũt ijsdẽ placere*

mihi certe ſuadere poſſum) plures additæ ſubiecti ſcientiæ conditiones, quibus deſignati homines nobiſcum Ariſtotelis vocem audire cogerentur. Si enim primò ſcientiæ ſubiectum debet eſſe ens, quia non ens, non eſt ſcibile: conſtat quod apud maiorem melioremq; philoſophorum partem, naturalia (quandoquidem mobilia & inconſtantia ſunt) non vera, & non entia habentur & appellantur, & quod perpetuò conſtat atque manet, conſtare, atque manere dicitur, eſt natura. Si ſecūdo ſubiectū oportet eſſe cognoſcibile, quia fruſtra ſcire quærimus impoßibile ſciri, conſtat maximè cognoſcibile (etiāſi nō cognoſcatur) haberi maximè verum ens, conſtans, talia non ſunt naturalia vlla, ſed natura.

Si tertiò debeat eſſe intelligibile, quia ſenſibile & imaginabile, & opinabile, ſenſum, opinionem, atque fabulam ſtatuunt, Intelligibile nimirum non eſt naturale vllum, imò naturale intelligibile nihil aliud eſſe conſtat, quam ipſam naturam, ipſaque eſt quod tandem ex naturalibus intelligibile reſultat.

Si quartò oportet eſſe vniuerſale, quia de particularibus ſcientia non eſt: certè quod in omnibus ſit, & in omnibus verificetur & de omnibus verè dicitur, nihil aliud eſt quam natura.

Hinc

Hinc vbiq; natura queritur, siue per vniuersale quod facit ad eius scientiam, vt pote vbi est scientificum, in quibus ipsa omnino ordinatissimè se habet, siuè per particulare quod facit ad eiusdem historiam, vt in Metheorologicis, in ijs quæ de animalibus, de plantis, & in genus alijs. vt item vbi inordinatio est ex parte difficultatis, quæ turbat ingenium cognoscentis. Vnde Aristoteles circa suam de anima inquisitionem humiliter sẽtiens, ipsam inter historias circa naturam adnumerat.

Si quinto ipsum opus est, vt in vniuersis artis inquisitiuæ partibus innotescat, vel saltem inquiratur, constat ipsam verificari, compræhendiq; finaliter, tum in tota speculatione, tum & in vniuersis eius (quæcunq; & qualescunq; sint) partibus. Finaliter inquam & obiectiuè, quia duplicem in quacunq; arte subiectionem compræhendimus. Est etenim quod materiam adæquat illam, vtpote quod subijcitur operationi, vltra & extra quod actio artificis non extenditur, sicut est lapis vel lignum, vel æs, vel ijs omnibus cõmune, in arte statuaria, quod tum omnibus tum singulis subijcitur operationibus. Est etiam quod finaliter adæquat artem, vtpote quod operationi tanquam finis eiusdem obijcitur. Vltra &

tra & extra quod, illa non intendit, ſicut eſt in arte ſtatuaria ſtatua, quam totum opus, & ſinguli operis actus intendunt. Hîc ſubiectum vnũ intentionis materialiter, non eſt vnũ totale, ſed iuxta partium multitudinem multiplex: niſi quis naturale *non quatenus denominat (vt frequenter capiunt ij, de quibus ſupra dictũ eſt,) compoſitum ex natura quæ eſt materia, & ex natura quæ eſt forma, vel natura i-pſum ſubſiſtens: ſed quod denominat habitum ſcientiæ, vel hiſtoriæ, qui contra diuinum, mathematicum, magicum, logicum, morale & naturale diſtinguitur: quandoquidem ſubiectum explicitè in recto de tota phiſica, & de ſingulis eius partibus prædicatur: Subiectum autem quod finaliter eſt ſubiectum & intentionis, obiectum vulgo apellitatur, quodq; obiectiuè conſiderari dicitur, certè eſt ipſa natura, vt manifeſtat ipſe Ariſtoteles, qui omnium tractatuum vbiq; reddens rationem, quoniam (inquit) de natura eſt ſcientia, circa naturam eſt conſideratio, ad eam quæ de natura eſt hiſtoriam, hoc conducere videtur. quoniam methodus nobis eſt de natura. Si ſextò operepræcium eſt vt eius paßiones demonſtrentur, id eſt quæ illi circumſtant, quæ illud concomitentur, quæ illud antecedant, queque conſequan-*

ſequantur, vtpote cauſſas & principia, ex quibus eſt ſeu cognoſcitur: ad naturam ſane omnia ſpectare videbuntur, cuius vbique rationes, modi, ſpecies, circumſtantiæ, indicia, effectus atq; rationes, pateſieri volunt. Si ſeptimò deceat vt eo nihil aliud proprius adſignari poſſit intentionis ſubiectum, iam quodnam magis meliusq; eſt vniuerſale illud æternum, immobile, ſemper idem, intelligibile magis, à ſenſibili ſemotum, quod in materialibus in principio intenditur, in progreſſu quæritur, in fine contemplari licet, præter ipſam naturam? ad quid aliud hiſtoriæ atq; tractatus rerum naturalium aduertunt?

Si octauò. Peripateticis ex autoritate eorum principis definiendum eſt de ſubiecto intentionis. ſi ex verbis autoris philoſophi, cuius eſt maximè ſuam aperire intentionem, propoſitum artis exaucupari debeant. Audiant illum in principio primi de phiſico auditu, vbi proponens quid agendum ſit circa principia huius philoſophiæ, inquit, circa principia ſciẽtiæ de natura. In principio tertij libri, illud ipſum repetit. Vbi tractatum de infinito adoritur, quoniã inquit de natura ſcientia eſt, circa magnitudines & motũ & tẽpꝰ, & cætera, ideo huiꝰ ſciẽtiæ propria cõſideratio eſt de ipſa. Circa principiũ octaui libri, adſignãs cauſã pertractationis de primo motu, & de primo motore,

considerationem hanc ad eam quæ de natura est spectare. Audiant illum in principio primi de cœlo & notent an aliud proponat ab eo quod in primo, tertio, & octauo phisicæ auscultationis proposuerit? Ibidem inquit, scientia de natura plurima circa corpora, magnitudines, passiones & motus & principia talis substantiæ versari. Omnia propter naturā, quæ in ipsis inuenitur & aperitur perlustrari. Vbi indicat se non per se corporum scientiam intendere, deq; eiusmodi quæ naturam habent præcipuè inquirere, sed vndiq;, vbiq;, & per se, naturam persecutari, & ideo circa corpora & id genus alia speculari, vt naturæ noticia subeat: minimè mobilibus animum addixisse, sed ei quod in ipsis est substantia, & immobile motus principium. Idem in principio tertij de cœlo repetit, inquiens. In ijs quæ in hac philosophia considerantur, plurima esse ad historiam de natura, magis quam ad scientiam, quia plurima contemplatio est circa corpora composita, vnde quasi ex historia, non ex perfecto vniuersali, scientiam naturæ persequimur. Audiant illum tandem in principio Metheororum epilogantem, notentq;, quod de vniuersis præcedentibus tractatibus, non mobile, non naturale, non compositum, non aliud huiusmodi, sed naturam & mo-

& motum se inquisiuisse resumit. Eius hæc extāt verba. De primis igitur causis naturæ, & de omni motu naturali. De astris autem & elementis secundum quod sunt disposita secundum superiorem lationem, (id est secundum quod habēt principium motus lationis, vtpotè naturam in seipsis) similiter de generatione & corruptione, quorum principium est natura. Audiant eundē ibidem, sequentes tractatus superioribus continuantem, indicantemq́; se aggredi historiam eorum, quæ fiunt secundum naturam, inordinatiorem tamen. Idem ex proœmio libri de anima quo historicā apellat, cōsid. elicere possit. Idē in innumeris alijs locis aperit, quos ista luce videre & cōsiderare poteritis, vbi perpetuò accipit naturam, vt de quo est scientia, consideratio, contemplatio, historia. Cœlum verò, Elementa, mobilia omnia, corpora vniuersa, tanquam circa quæ naturæ consideratio versetur, & tanquam ex quibus naturæ species intelligibilis eminet. At vbi vnquam de naturalibus, de naturali, de ente mobili, de corpore mobili, vel de alijs huiuscemodi, methodum, considerationem, scientiam, vel historiam dixit?

SECVNDVS ARTICVLVS.

In pro-

IN proœmio physici auditus duplicẽ cognoscendi rationem quarum hæc quidem physica est, illa methaphysica, ab Aristotele insinuatam non capiunt: vt tandem in speculationis istiusmodi progressu non minus extra Aristotelis eorum principis intentiones, quam ex eiusdem intentionibus fallantur atque fallant.

RATIO.

CIrca secundũ articulum illud animaduertite, quod cum Aristoteles in prima proæmij parte dicit, procedendum esse ex ijs, quæ sunt circa principia scientiæ de natura, notat ordinem quem tenere debet tractatus phisici auditus inter cæteros suæ naturalis philosophiæ libros. Cum verò in sequẽti parte dicit, innatam esse nobis viam, ex notioribus nobis, ad notiora naturæ: vnde ab vniuersalibus, confusis, hoc est vniuersis, totis, cõfusis, contractis, compactis, indistinctis, veluti cõmixtis, ad particularia, partes, simplicia, distincta, absoluta, pura, immixra, à consideratione videlicet & comtemplatione per modum contractionis & impuritatis, ad contẽplationem absoluti, solius, nudi, atque puri.

Vbi notat ordinem quem ha bet contemplatio naturæ, per naturalem philosophiam, quæ

phisica

physica dicitur, ad contemplationem naturæ per diuinam philosophiam, quæ Methaphisica nominatur. Quid enim? Non ne à natura quemadmodum composita, vtpote secundum quod huiusmodi. nempe vt est principium rerum naturalium, ad eandem absolutè capiendam, partim ex quinto Methaph. partim ex alijs eiusdem disciplinæ libris. Nonne à principio, causa & elemento rerum naturalium, ad absolutè capiendum principium, causam, & Elementum, post habitam eiusdem distinctionem & multiplicem rationem ex quinto Methaph. et alijs. Non ne à materia & forma, actu & potentia huiuscemodi, ad materiam & formam, potentiam & actum, absolutè, ex octauo & nono Methaph. præsertim? Non ne à cognitione vnius materiæ, vnius motoris etc. ad cognitionem vnius simpliciter, & in contractè, à multitudine seu pluralitate principiorum, entium, specierumq; motuum, ad pluralitatem simpliciter, à differentia contrarietateq; principiorum & entium, ad rationem differentiæ contrarietatisque simpliciter, vt sunt videlicet circa vniuersaliter ens, à consideratione motus vt sequitur naturam, estque subiectiuè in naturalibus vniuersis, ad considerationem eiusdem absolutiorem. distincti-

distinctiorem, simpliciorem, vt videlicet entis passio, atque specierum eius differentiam constituens: à ratione finiti, contracti, ad naturalia, ad eiusdem distinctam, incontractam, & absolutam rationem. ex decimo Methaphisi. Nunquid non à consideratione circa substantiam mobilem in phisicis, ad considerationem circa substantiam absolutè, simpliciterq; capiendam progreditur. à contemplatione mouentium intelligentiarum vt sunt motrices, ad earundem contemplationem pro ut sunt: a contemplatione vnius principis motoris, ad eam quæ est vnius principis absolute, ex duodecimo Methaph? Quis tandem non videt, quemadmodum à speculatione naturæ circa species sensibiles seu naturales, ad speculationem eiusdem circa species in seipsis, partim in tertio & quarto, partim in tertiodecimo, & quartodecimo Methap. vbi de vniuersalibus de principijs, de numeris, de ideis, ijsq; quæ sunt circa hæc, examinando & disputando inquirit? Hinc proportio Phisicæ ad Methaphisicam. 1 cōcluditur esse, sicut considerationis de simo ad considerationem hinc quidem nasi secundum se, inde vero curuitatis. 2. sicut cognitio secundum nomen, ad cognitionem secundum significati definitionem, & partium eius sensum. 3. sicut confusi

fusi mixtique conceptus, ad distinctum & immixtum. 4. contracti ad absolutum. 5. concreti ad abstractum. 6. rationabilis ad intelligibile. 7. vt scientiæ ad sapientiam, 8. vt intellectus speculatiui ad contemplatiuum. 9. vt notitiæ adolescentis puerorum, qua appellant omnes viros patres, & omnes fæminas matres, ad notitiam adultã aliorum distinguentium vnumquodq; : termini enim confuse in phisicis accepti, in sua significata significatorumq; species distinguuntur in Methaphisicis, vt maximè patet ex quinto Methaph. vbi omnes significationes adducuntur substantiæ, causæ, principij, elementi, infiniti, cæterorumq; quæ in naturalibus, non nisi obiter & ad modicum distinguuntur. Methaphisicus enim distinguit horum vnumquodq;, vtpotè qui ens non secundum vnam contractamq; rationem, sed secundum omnem, absolutam & incontractam, quã solummodò distinguendo, & in omnes rationes diuidendo. Aristoteles lucrari pertentat. quod quam feliciter faciat alias aperiemus.

ARTIC. III.

VNum ens infinitum immobile bene posuit Xenophanes, & eius discipulus Parmenides, & huius discipulus Melissus, nec feli-

citer eos insectatur Aristoteles.

RATIO.

XEnophanes ex ipsius Aristotelis verbis æternũ voluit esse quicquid est. Si ei9 quod est nihil, & non ens, non potest esse prinprincipium. si quidquid est, in nihilum labi nequeat, si omnia fiunt, nihil præexistit. siq; ei quod est aliquid accedit, iterum ex nihilo fiat oportet. quia in eo quod est paucius, non est id quod est amplius, inque minore maius esse non potest.

Ipsum quoq; ens, mole infinitum sit oportet, quia sicut nō habet principium temporis quã do factum sit, ita neq; termini vnde factum sit: similiter neq; temporis instans, neq; magnitudinis terminum in quem desinat. Idem vnum sit oportet, quia plura ad inuicem necessariò mutuò sese terminare oportet, inuicẽ q; aliud alij finẽ esse.

Simile quoq; vndequaq; sibi, quia dissimilitudo iam proximè negata, pluralitatem statuit. Ipsum idem prædictis rationibus, æternitatis, immensitatis, vnitatis, vndequaq; similitudinis, immobile sit oportet. Non enim mouetur, nisi quod aliquid excedit. & tale vel in plenum, vel in uacuum, quod extra infinitum esse nequit. Doloris,

ægritu-

ægritudinis, morbiq; expers: tale enim sit oportet, quod neq; situ transponitur, neq; forma diuersificatur. Alteri quoque admiscibile non erit, admixtione enim quod non est procreatur, quod erat interit: admixtio item ex multis sit oportet. Hæc ille, qui ens & verum apellabat, quod mente intellectuque compræhenditur, rerum substãtiam, naturam vniuersam. coetera verò quæ sẽsum communem & imaginationem pulsant, quæque in vultu & facie naturæ esse videntur plura, diuersa, contraria, mobilia, alterabilia, admiscibilia, ille nõ entia, nõ vera apellabat. Unde Parmenides eius socius atq; discipulus, se ab intellectu ad opinionẽ, ab eo quod est verum ad id quod est apparens, ab entis contemplatione, ad non entis ratiocinia dixit proficisci, cum post positũ vnum infinitum & immobile, sicut Xenophanes, ad ponendũ duo contraria principia, hinc calidũ, lucidum, leue, indè frigidũ, obscurũ, graue cõuerteretur. Aduersus istos orthodoxa intelligentia examinatos, quid rationis habeat Aristoteles non conijcio, sed cum grauior occasio dabitur, ad singulas Aristotelicæ inuectiuæ partes respõdebimus.

ARTIC. IIII.

Ex eo quod Permenides dixit vnum vndique sibi æquale, atque sphericum, &

Melissus vnum asserit infinitum, minimè contradictio sequitur inter illos, sed potius alter alterũ exponit

RATIO.

QVod est finitum non est vbique æquale, sed à centro duntaxat. quod si æqualitas à centri non differente distantia vel æquidistantia rationem obtinet, vndique æquale illud solummodo erit, quod vbique cẽtrũ habet, estque ex omni parte sphæricum. Sicut iuxta intelligibilem modum est in Deo, in natura, in vniuersi vna substantia, iuxtaque rationem propriam in hoc sensibili vniuerso conijcitur, in quo nulla stella, nullus mundus, nullus orbis in circumferentia dicitur alteri, qui sibi non sit in cẽtro quia vndique in vniuerso æqualis habetur ad magnum paruumque horizontem respectus. Infinitum igitur sit oportet, quod vndique æquale esse debeat.

ARTIC. V.

VNum igitur infinitum ens dicimus, ex quo quidem nihil effluat proprium & in quod nihil influat peregrinum.

RATIO.

RATIO.

PArticularia ea ratione corruptionem ſubire dicuntur, quia partium conſtantiam, ordinem & ſimmetriam, quam ad hoc vel illud integrum cōſtituendum quādoq; nacta ſunt, amittunt: vbi velut à diuerſis continentis mundi regionibus, diuerſæ veluti partes in vnum concorditer coaleſcebant: vnde iterum diſſidium perpeſſuræ, ab vno ad diuerſas veluti regiones emigrabunt. quod ſanè continuè (etiam cum compoſitum optimé conſiſtere videtur) efficiunt: ſiquidem è quocunque compoſito (licet vbi magis appareat vbi minus) quædam ſibi cognata, propriaq; effluunt, alijs influentibus peregrinis, & quoadvsq; hæc quæ ad vitæ ſuppetentiam faciunt, extruſa non fuerint, & quæ ad compoſiti fatale detrimentum ſufficiunt intruſa non fuerint, conſtare, viuere, vnum, idemq; creditur eſſe indiuiduum. Vniuerſum verò infinitum, cui nihil eſt extra, nec certè quod peregrinum illi accedat habet, nec quo eius domeſtica ab ipſo recedant agnoſcit.

ARTIC. VI.

IPsum certè substantialiter est immensum chaos, vel aer immensus, vel atomi infinitæ: quibus ad rerum generationem atque vicißitudinem: ordinatricem, segregatricémque oportet præesse mentem, spiritumque omnibus infusum, omnia viuificantem, exagitantem, alentem.

RATIO.

IVxta multiformem rationem, per multiplices vias & ordines atque media ad rerum naturalium contemplationem accedentibus, multiformis multiplexque occurrit, idemque verus atque scientificus definiendi & iudicandi modus: quocirca nulla est sententia & contemplationis via. quam non omnino indignus philosophus attulerit, quæ nobis in aliquo ordine, & certa quadam ratione non probetur: In omni tamen philosophandi genere, (licet ipsum non omnes expresserint vel curarint, vtpote qui magis ad aliquã praxim, vel ad definitã quandam potius, quam ad vniuersam contemplandi rationem adspirarunt) alterum intelligimus quod rerum est substantia atque materia, alterumq; quod omniũ sit efficiens, director, & ordinator.

ARTIC. VII.

LOgicè quidem definientibus aut mathematicè, simplicia compositorum principia videbuntur: ita enim literæ atq; sillabæ principia sunt dictionum, & lineæ figurarum, alioqui prius natura sunt dictiones atq; figuræ: haud secus in natura tutius intelligemus simplicia & particularia composita ex vno, & vniuersali chaos, exire atque segregari, quam ex hinc indeque positis simplicibus coalescere.

RATIO.

CErtè aliter literæ atq; sillabæ extant dictionum principia, & lineæ figurarum, quam vulgata elementa dicuntur & intelliguntur principia corporum: hæc enim sunt veluti res, illa veluti signa quædam. Porrò sicut non phisicè punctus fluit in lineam, vt cuius esse possit materiale principium, neque linea in superficiem, neque superficies in corpus, sed abstractiuè post corporis habitum sensum, istos subire placet progressus: ita nimirum vbi non sunt eædem vel similes naturæ resolutiones, ad vera secundum naturam principia comparata. nec philosophicæ sunt neque frugaliter disciplinales: quod si, ita est, philosophi illi, qui naturam

rationi, non rationem naturæ conformant, & accommodant, logici sunt non phisici: temerarij machinatores, non frugi abstractores mathematici. magis itidem sophistæ quam philosophi.

ARTIC. VIII.

NIhil ieiunius fingi potest quam materia illa prima Aristoteli rerum naturalium princ pium, quam sanè ex ipsiusmet Aristotelis decretis è medio sublatam esse comperimus, si non mathematicum, logicumq́ue, sed naturale potißimum res naturales exigunt principium.

RATIO.

SI petas ab Anaxagora, quid est materia? quid videlicet primum subiectum rerum naturalium? Respondebit, compactum, compositum, confusum, mixtum quoddam. habet similiter quod adferat Empedocles, habet Melissus, Democritus, Pythagoras Plato habēt & alij certè quid adducant. Aristoteles autem non nomine, nec ratione aliqua definit quid sit illud primum: adducit quoddam ens, quod ideo reale non dixerim, quia magis logicum quam phisicum rectè

consideranti tandem principium apparebit. Quale enim primum subiectum, quale primum principium, quod ab esse sequentium non absoluitur, quod nullam ex se, sed omnem aliunde & habere dicitur actualitatem, esse potest? Quale quod potius alijs indigum, quam vt quo alia indigeant assumitur? Quod Aristoteles ipse ex suis fundamentis hanc materiam destruat, manifestum est ex pluribus propriæ philosophiæ locis. & præcisè ex ijs ijsdem argumentis, quibus circa principium tertij libri de cœlo agit contra puncta, lineas, atque superficies Platonicas: ibi nullum graue ex non graui, nullum corpus ex non corpore fieri, verè atque constanter affirmat. Mitto nunc rationes quas in Dialogis de Principio, causa & vno, & in ijs quæ de generatione circa materiæ actualitatem adduxi.

ARTIC. IX.

CVr vbi circa naturalia consideratio instituitur, principium secundum formam ad methaphisicam considerationem prorsus referatur, nulla Aristoteli ratio est:

RATIO.

EIusdem artificis esse materiam atque formam definire, nemo est qui abnuat. & pluribus in locis ipsemet Aristoteles testificatur: Cur igitur pro principij secundum formam habēda ratione, ad Methaphisicam transmittitur, cū tale principium non minus physicum sit, eo quod est secundum materiam? Nunquid enim ipsum quatenus principium est, vlla ratione è materia queat absolui? Nunquid quod perpetuò materiam recipit, & in materia consistit, & citra materiam non comperitur methaphysicum esse potest Aristoteli? At & quicquid sit de hoc, vbi in methaphysicis (per Deum) de rerum naturalium formali principio magis definit, quam in phisicis de materiali? An fortè tunc de principio secundum formam determinat, cum Platonicas ideas, & Phythagoricos numeros nititur destruere? An talibus secundum formam principiis sublatis, quippiam est quod eorū loco substitutum ab Aristotele possimus intelligere? An quemadmodum hic Aristoteles illud nobis innuit, quo omnia naturalia sunt materialiter vnum, ita ibi certum aliquid, & certa aliqua definiuit, quæ in natura specierum faciant diuersitatem, vtpotè vnde naturalia adeò numerose secundum formam diuersificentur?

CIR-

CIRCA SECVNDVM LIBRVM.

ARTIC. X.


Aturæ nomine dignius esse formã quam materiam nusquam probare potuit Arist. Priuationem quoque naturæ nomine insignire nescio quam tutè potuerit.

CIRCA SECVNDVM PHISICI AVDITVS.

RATIO.


Vsquam onstendit Aristoteles, vbi sit formarum naturaliũ cõstantia, cum quippe omnes particulares corrumpantur, neque communiter neque præcisè rationem eius principij, quod semper maneat oportet, habere possunt. Ipsæ si è potentia materiæ educuntur, & non extrinsecus ab efficiente inducuntur, in materia veriori modo sunt, & à ma-

& à materia actus rationem habent. Hinc quod est forma Aristoteli, alijs est non ens, qui vniuersum actum & veritatem ad materiam referunt, quandoquidem hæc formarum omnium parẽs est & genitrix: nõ est cõtrà formarum vlla, (qualẽ cũq; capiat Aristoteles) ipsius materiæ principiũ. Quod verè perseverat materia est, quia non minus particularis quæ est in me & in lapide semper manet, quam vniuersalis: quicquid autem forma appellatur Aristoteli, (nisi ad vniuersales faciat recursum) habet nouum esse & abesse, nouiter inquam in superficie materiæ apparet & euanescit. Quænam igitur forma est principium, si vlla quæ sit antè & supra particularia non est Peripateticis? Quæ est in particularibus, non est vniuersalis & incoruptibilis, & quæ est post particularia, intentionalis est & logica. Iactet igitur quantumlibet Aristoteles logicam materiæ & formæ distinctionem, quia nunquam vt realis philosophus, reale & phisicũ principium adducet formam, nisi vel factus Platonitus recurrat ad ideas, vel Pythagoricus ad numeros. Porrò si hæc sunt in natura ex ui mẽtis ordinatricis vel ex natura materiæ seipsam casu exagitantis, non est quod formam constituamus principium, sed vel efficientem & materiã, vel solam materiam, sub alicuius contrarietatis

conditi-

conditione & moderamine. Sed de actu materiæ & de existentia formarum in ea, partim diximus in dialogis de principio partim: vbi de generatione pertractabimus, definiemus, vbi & de priuatione, & de materiæ appetitu quid nobis videatur aperiemus.

ARTIC. XI.

ASTrologiam, Perspectiuam, & harmonicam tutius naturalis philosophiæ partes inquies, quam inter physicam mathematicamq́ꝫ considerationem medias.

RATIO.

SI Astronomiam, Perspectiuam & Harmonicam physicæ partes fassus esset Aristoteles, nemo illum naturalem philosophiam perfecisse existimare potuisset. Atqui cur has inter mathematicam & phisicam medias appellabimus disciplinas, cum inter abstractum à materia, & cum materia coniunctum, medium imaginari nequeamus? Non ne & Aristoteli phisica est linea quam Perspectiuus accipit? Non ne phisicos numeros Harmonicus? Non ne physicum accipit circulum, & quandoq́ꝫ lineam & figuram Astrologus

logus, vbi (siuè imaginata sint hæc, siue realia, siue intrinseca, siue extrinseca sphæris ipsa dicantur) semper cosmicam materiam respiciunt.

ARTIC. XII.

LOcum & tempus necessariæ sunt rerum naturalium causæ & ad nullam positarum quatuor reducibiles: propterea tamen illas non destitit Aristoteles contra antiquorum consuetudinem sine vlla ratione prætermittere.

RATIO.

QVis à tempore & loco, rerum naturalium productionem absoluerit? quis horum quidpiam citra hæc fieri vel esse dixerit? quis hæc non per se causas fateatur, cum causam facti vt plurimum adducimus temporis oportunitatem atque loci: defectusque rationem loci temporisque penuriam? Quis confidat hæc ad aliquod vel plura vulgatarum causarum genus referre, cum neque pars rei sint, veluti materia & forma. neque efficientis præcisam rationem habeant: sed & continentis, adstantis, circum-

circumstantis, consistentis, & conseruantis: neq; finis sunt rerum magis quam ad rerum finem, si non à finis ratione longè non absint. Imò neque exemplar ad formam quæ rei pars est reducitur, neq; minus finis ad efficientem reducitur, quam exemplar: & ideo non minus meretur distinctum causæ genus nominari exemplar, quam finis. Aut igitur ad capita efficientem & materiam cum Platone causarum numerum reducamus, aut pari ratione ad pariter causas plures positis progrediamur.

ARTIC. XIII.

NVmquam natura errat: sique interdum monstra non produceret, erraret.

RATIO.

NOn errat qui facit quantum & quale in se est, qui præstat quod melius commodiusque fieri potest, expeditque magis. & subiectū materiæ opus, pro subiectæ materiæ ratione tractat. Imò sicut intellectus atque sensus se habet ad obiectum suum, quod si melius aliterq; respiciat quam ipsum sit errat: ita et natura ad proprium subiectum, in quod si aliter agat, quam ipsum aptum natumque sit pati, errat, Neq; igitur in vniuersali neq; in particulari error est.

ARTIC. XIIII.

NAtura fortuitum nihil esse potest.

RATIO.

QVicquid sanè natura facit, intendit, intendebatq́; facere: vndique certas determinatasq́; habet causas, certum determinatumq́; finem. quod autem fortuitum dicitur, absolute à fortuna non est, sed ad hunc vel illum, cuius est incertus, insperatus, inexpectatusq́; euentus. Sed pro ampliore quæsiti resolutione notandum, naturam agere omnia, & non vnum sine alio, Omnia item vnam esse substantiam, quæ non fit, sed est. Cui sanè enti innumeræ adueniunt dispositiones, quarum hæ quidem sunt finis, illæ verò ad finem. Porrò cum non sint ipsa rerum substantia, & id quod est, nihil est ita finis, vt ad aliud non tendat, vicissimq́; ad omnia tendat omnia, diuersorumq́; respectu, & finis sunt & ad finem, & contra finē. Distinguentibus igitur naturam, in eam ex qua fit omne, & eam quæ facit omne. & quatenus ipsa est omnia, vt actus potensq́; formare & omni a possibilitate & potēs omnia fieri; apparebit quē admo-

admodum in ijs qui dicuntur agere propter finem natura agit propter finem, & in agentibus finem, natura agit finem. & in ijs quæ sunt ad finem, natura est ad finem, in ijs quæ sunt finis, natura est finis. In ijs quæ à certo remota sunt fine, natura à certo fine remota est. Si etenim vna est omnium rerum substantia, vnum subiectum, vna natura, de vno prædicata omnia certè verificantur. Si natura imaginetur extra rerum substantiam, vt quiddam per se existens, atque sepositum, rationabilius sanè esset quærere, an agere propter finem illi secundum vnam, vel alteram contradictionis partem contingat. Sed vbi natura est ipsa vniuersalis rerum substantia, & ipsum quod est, in diuersis sanè contrarijsq; habitis suppositis, diuersas contrariasque adsumit denominationes & habitudines. Eiusdem quippe substantiæ est, in eodemque naturæ gremio dicitur contineri, cui de frigore destruente conqueri; & cui de eodem construente gaudere contingat. vbi igitur omnia agant propter finem, natura agit propter finem: si nihil ita agit, natura non agit: ita si quædam agunt, quædam verò non agunt, circa vnam rerum substantiam contraria contradictoriaque concurrent: Dum interim per ipsas dispositiones & ordines in

ipsius ordinibus & in diuersis subiecti partibus, alijsq; dispositionibus, incompossibilitas, repugnantia atq; fuga consistit. Istud in eadem subiecta linea erit manifestum, in qua simul duo recti anguli, alter rectus alter verò curuus, alter maximè rectus alter maximè curuus, rectus pariter atq; curuus exoriuntur, rectus simul & curuus intereunt. Ita vna est contrariorum natura, subiectumq;, prorsusq; eadem substantia illis subijcitur. Idem igitur principium, medium, finisq; naturalium omnium natura est: eadem nempe vsia eius quod est bonum & malum, bonum & non bonum, calidum & frigidum, amicum & inimicum: idem est quod omnium horum denominationem suscipit, de eodem (inquam) omnia verificantur, atq; prædicantur.

ARTIC. XV.

Rerum naturalium necessitatem ad omnes causas æqualiter referimus, quia temerè Aristoteles diuersa causarum genera ea ratione comparat, vt ad earum aliquam necessitas magis referatur.

RATIO.

Temere

TEmerè quæritur, an prolificationis necessitas ad patrem magis conspiciat, an ad matrem, cum tam malè hæc sine illo, quam iste sine illa prolificare possit. Similiter an materia plus concurrat an efficiens. In omnibus item necessariò circumstantibus, iuxta diuersum causandi genus, comparatio vlla locum non admitit. Porrò in eodem causæ genere consideranti, si agens vnus cum alio, vna materia cum alia, locus vnus cum alio, tempus vnum cum alio conferantur, accidet sanè vt rei necessitatem non æqualiter ad hoc atq; ad illud referamus.

ARTIC. XVI.

CIRCA TERTIVM LIBRVM VBI DE MOTV.



Ctus existentis in potentia secundum quod huiusmodi, non magis definitio motus est quam multorũ aliorum, quæ eadem ratione facillimum est definire. Sic etenim quies est actus existẽtis in potentia secundum quod huiusmodi, vita est actus existentis in potentia, anima est actus existentis in potentia:

quem sanè definiendi modum vtpotè nugacem spernimus.

CIRCA TERTIVM PHIS. AVDITVS VBI DE MOTV.

RATIO.



Mnisquidē forma Aristoteli act9 existentis in potentia est, siue substantialis illa sit, quam immediatè suscipere dicitur prima materia, siuè accidentalis, quæ subiecto in actu existenti superinducatur. Ita igitur actus & potentia ad inuicem referuntur, vt vbique horum alterum & sit alterius, & ad alterum sit. Hinc potentia vitam habentis endelechia anima est, vita est perfectio viuere potentis, & quies ipsa cui motus opponitur, non minus actus existentis in potentia est. Imo & si omnis motus est propter quietem, potiori ratione hæc actus eiusmodi erit, quam ille possit esse.

ARTI.

ARTIC. XVII.

NEc tutè motum actum imperfecti, neque sat verè actum imperfectum dixeris vnquam, interdum enim est actus perfecti, perpetuoq; actus perfectus est, si ad illud quod ad ipsum est in potentia secundum quod huiusmodi respexerimus.

RATIO.

OMnimotui minimè conuenire constat, esse actum imperfecti, motus enim cœlo vt actus perfecti conuenit apud Arist. ipsum, & apud nos qui globis vniuersis. Hæc est ratio eius vt moueatur naturaliter. quodsi non moueretur, non esset sanè cœlum Aristoteli: non enim altius neque profundius desinit cœlum, quam corpus circulariter mobile. Ille sanè est actus perfecti, qui conuenit subiecto existenti in maximè sibi naturali dispositione, & vltimum attingenti endelechiæ terminum: vt ergo actus perfecti est anima, ita & motus iste naturalis qui animæ præsentiam per se tanquam propria passio consequitur, imo concomitatur. Nec obest quod omnis motus est propter indigentiam, ne dicamus ipsum esse actum perfecti, quia gradus sunt in rerum

ſpeciebus, & vnaqueq; ſuis numeris perfecta in-intelligitur. Porro vna numeri ſpecies quia ab alia comprehẽdatur, vel aliã cõpræhendat, imperfectum non dicitur. Hinc imperfectũ non eſt aſtrum, quia cœlo indiget, imperfecti nõ ſunt ſoles, neq; terræ, quia mutuò ſuffragantur. quatenꝰ hoc eſt illis natura inditum, vt alia horum ordinem habeant ad alia. Quod ſi perfectionis ratio eòusq; intendatur, vt ipſum perfectum ſit, quod nullo indigeat, vnum erit perfectum vniuerſum, neq; dicetur perfectum, quaſi perfectè factũ, ſed quatenus in eo nihil eſt infectum: itaque motus eſt actus imperfecti, quia vnum duntaxat immobile quod eſt ens, quod eſt vniuerſum. ſed non ad hoc reſpexit Ariſtotelis ſenſus. Quod ſubinde actum imperfectum, dixerit motum, non ſatis videre poſſum, quomodo excuſare poßit vt vniuerſaliter valeat: quia mobilis, quatenus mobile eſt quis alius actus eſſe poſſet quam motus? ædificabilis quatenus ædificabile, quis alius actus vel perfectio eſſe poteſt quam ædificatio? nunquid ædificium? at ædificium non eſt motus, ſed poſt motum nacta perfectio, & actus qui non conuenit mobili, quatenus mobile: domus enim eſt actus perfectus ædificabilis quatenus, notat potentiam non ad motum, ſed remi conſtitutam, vt pote ædificium: ædificabilis autem, quatenus

notat

notat potentiam ad ædificationem, motus quidem ille actus perfectißimus est, & vltimus. Ædificabile primo modo dicit potentiam ad motum esse, & ideo domus est eius actus perfectus, ædificabile secundo modo notat potentiam ad motum, & ideo ædificatio est eius actus perfectus. Perpetuò igitur mobilis quatenus mobile est, motum actum perfecti dicere debuisset Aristoteles. Mitto nunc an motus sit definiendus, quem qui sensu non percipit, nulla vnquam definitione percipiet.

ARTIC. XVIII.

MOtum non in quattor vel sex tantum, sed in omnibus reperiri prædicamentis dicere debuisset Aristoteles.

RATIO.

CErtè sicut in substantia est motus Aristoteli, quia accidens est in ea tanquã in proprio subiecto. Secundum substantiam motus est Aristoteli, quia tales habentur generatio & corruptio. in quanto & secundum quantitatem est motus, in loco, & secundũ locum est motus, in qualitate, & secundũ qualitatẽ est motus. Ita in

relatione, & ad relationem: quia & ipsi aliquã do mouentur qui sit pater, qui sit dominus, & quod modo est quod prius non erat, animo motus intelligitur, quod si in quibusdam liceat abnuere, sunt certè in quibus negari non potest: ex motu enim locali, & motu secundum generationem, & secundum quantitatem necessariò sequitur motus secundum habitudinem & relationem, qua aliquid dicitur genitum filius, pater, dextrũ, superiꝰ, maiꝰ, minꝰ, æquale. Pariter ad act. & in actione seu agere, ad paßionem seu pati, & in paßione motus est. si hæc ipsa motus non sunt. Similiter in situ & ad situm, in quando & ad quando, in vbi & ad vbi. in habere, & ad habere. si quis rectè iudicet, videbitur esse motus, cum stãs fit sedens, cum hesternum fit hodiernum, dum quod est domi, fit in foro. quod non est annulatum & vxoratum, fit vxoratum & annulatum. Cur igitur motus species nunc quidem quatuor, nunc verò sex tantum faciat Aristoteles, addiscere vellem libentißimè. Nunquid & totidem prædicamenta?

ARTIC. XIX.

M*Agis definiunt motum qui ipsum alteritatem, inæqualitatem, & non ens quoddam esse*

lam esse dixerint, quam qui actum eiusmodi quæ- em astruit Aristoteles.

RATIO.

NOn est quod Aristoteles indè vrgeat, quod alteritas, inæqualitas, & non ens in ijs quæ non mouentur, vel mota quiescunt, verificatur: quicquid est hoc, non est illud, & quicquid vni est æquale, alteri est inæquale: & nihil esse potest, quod alterum non sit ab aliquo, siue in motu, siuè extra motum. Cum quippe alteritas, inæqualitas, & non ens distinguitur in absolutum intrinsecum, & ad idem subiectum, & in respectiuū, extrinsecum, & ad diuersa subiecta, videbitur prorsus alia ratio in moto & quiescente. quod enim mouetur in seipso, & ad seipsum, semper est alterum & inæquale, & non ipsum, idemque: siquidem per motum magis non ens datur, & in non entitate esse, quia perpetuò aliud & aliud esse recipit. aliam aliamque quātitatem, aliam aliamque qualitatem: quod verò iam est, atque quiescens, respectiuè duntaxat non ens, inæquale & alterum dicitur.

ARTIC. XX.

MOtum dicere possumus magis esse in mouente quam in mobili, item magis in mobili quam in mouente, nec non æqualiter in vtroque, & ab vtroque.

RATIO.

MOtus primò est in mouente, vt in principio actiuo, primo, & perse. In mobili, tanquam in subiectiuo & materiali, Æqualiter in vtroque, formaliter, Aequaliter ab vtroq; originaliter. vt rectè consideranti manifestum. Primum & secundum facile patet, tertium puta quod sit æqualiter in vtroque formaliter, indè elucescit, quia non magis efficiens, mouens dicitur, quam subiectum sit ab ipso motum: nec magis subiectum motum dicitur, quam eius mouens ille dicatur. Ideo motus est ratio æqualis ab vtroque vna proueniēs, quia ex mouente è q; moto resultat motus, sic vt ex vidē te & viso, visio: operāte & operis subiecto, operatio: quæ vt in ipsis est, formaliter dicitur, vt autem ab ipsis prouenit, originaliter. & ideo patet etiam quartum. Hîc contemplari licet quatuor, nempe operantem, operabile, operationem, opus.

VBI

VBI DE INFINITO.

ARTIC. XXI.



Llud propriissimum, quod communem facit dubitationem, per id quod in cogitatione non deficit numerus & mathematica magnitudo, nusquam diluit Aristoteles. non enim plus debet habere imaginatio naturalis, vel naturaliter posse debet, quā natura: quinimò quid aliud crediderim esse imaginatiuam potentiam, prætęrquam naturæ vmbram æmulatricem?

RATIO.



Nde ex parte huius potentiæ naturalis est infinitum, vt imginatio quantitatem quantitati addendo nō quiescat, neq; illi terminetur dimensio simpliciter, & aliquid extra mundū nequeat nō fingere, siue vacuū sit illud, siuè plenum. Vnde etiam alicui naturali talis, tātāq; potētia inest nō secūdū naturā certa ratione illi re-

illi respondentem? Nisi ambulationis gratia, natura pedes non effecisset animalibus; neque contribuit potentiam ad terminum quem non attingat, neque decet vt naturale quidpiam, terminum quem natura præscripsit, (vel fortè non exuperat) excedere posit. vnde enim hoc à natura? si in natura nil frustra, contra naturam, citra naturam. & certè tale vltra naturæ vires nunquam intendatur oportet. At inquiet quis, quod à pari possemus credere esse homines maiores cœlo, vel tam magnum saltem quam cœlum est, iuxta antropomorphitarum sententiam ex eo loco, inquo Deus dicere introducitur cœlum, sedes mea, terra scabellum pedum meorum, quodnam igitur templum ædificabitis mihi? Porrò non propterea quod imaginatio illud potest, necesse est idem naturam posse, vel efficere. Ad hoc dicitur, quod nec naturæ potentiæ, nec rationi repugnat, vt cum vnum sit ens, vna substantia, vnum infinitum informe, illud posis denominare quolibet modo, seu sumere sub cuiuscunque formæ, vel speciei ratione: quia tandem adeò nō est absurdum, vt accipit Aristoteles in primo phisicæ ascultationis, si quis Heracliteā referat propositionem, omne quod est, esse hominē vnum, vel aliam aliquam huiuscemodi substantiā, licet enim species quòad earum molem & quantitatem & figu-

& figuram, sequuntur conditionem huius astri quod habitamus, vnde magnum & minimũ specierum connascentium in eo intra definitos quosdã (etsi indefinitè) terminos contineantur, nulla tamẽ species absolutè certũ definitũq; ratione vlla numerum habet atque molem. Hinc quædam species animalium, quæ in animalibus nascuntur, in maioribus maiores, in minoribus minores apparent. Sic maiores sunt vermes, in quo corrumpitur caro equina, quam caro passeris. Quia igitur non est pars materiæ, ex qua non possit esse homo, est sanè in potẽtia naturæ, vt infinitum hominem faciat, imo vt fecerit infinitum hominem, imo vt sit infinitus homo, & infinita quælibet species. Sed vbi (inquies) vnquam apparuit? Nõ est opus (inquam) vt appareat, quia infinitum neque terminatum est, neque figuratum. Ergò (inquies) infinitus homo, infinitus asinus, infinita sic9? Ita inquã quia infinitũ est vnũ idẽq; esse, totum indifferens in vna substantia, vnũ ens, in quo homo est verè, asinus est verè, aurum verè, & verè est quicquid est: quod verò non est infinitum, vnum, immobile, sed figuratum, finitũ, mutabile, non est verum, sed non ens, sensibile, opinabile. Quod igitur imaginatio quidlibet infinitam ad molem persequitur, non fallitur: sed altius naturam imitatur, & ad veritatem apellit,

quam

quam sensus, ad veritatem inquam primi intellectus, qui non potest intelligere nisi vnum, neque potest intelligere nisi infinitum. Infinitum enim est quod potest, illud operatur: vnum idē q; est quod est, quod potest, quod agit: ideo vnū est illi nomen indescriptibile, ineffabile, & omnia nomina illi cōuenire possunt, & nullum nomen. Ex ijs si cui aliqua vidētur absurda, ipse ampliore indiget declaratione, cui non est hîc locus. interim ne temerè iudicet.

ARTIC. XXII.

NEgamus Aristoteli corporis rationem esse planitie terminatum, sicut & numeri rationem numeratum esse non concedimus, petit. n. in principio philosophus iste, quotiescumque tales adsumit definitiones.

RATIO.

CVM inquit, Aristoteles, est de ratione corporis esse planitie terminatum, & ex hoc inducit, corpus infinitum non esse

non esse, suo more ex suppositione falsorum, propriorumq; principiorum incedit. supponenti verò corpus infinitum esse, superficie terminari non erit omnis corporis ratio, sed finiti tantum corporis.

ARTIC. XXIII.

NVlla quoque ratione fulcitus Anaxagoram arguit, infinitum se ipsum firmare asserentem.

RATIO.

INfinitum quia infinitum, maximè non nutat, non trepidat: infinitas enim est maxima immobilitatis ratio, ideo infinitum seipsum firmare dicitur. quia ex sua ratione habet, atque natura, firmitatem. quare (inquies) non defertur? ex intrinseca causa respondebimus, quia infinitum est, quia non habet extra se spacium, quia non habet terminum vnde & quo feratur. Seipsum firmat igitur, quia ipsum est sibi ratio firmitatis: neque enim vi, neque natura est alicubi, quia est vniuersum & vbique,

ARTIC.

ARTIC. XXIIII.

NObis non est impoßibile ſimul infinitum dicere corpus, & locum quemdam corporibus eſſe.

RATIO.

SI non ſuperficies, ſed ſpacium quoddam locus est, nullum corpus, neque vlla pars corporis illocata erit, ſiuè maximum, ſiuè minimũ, ſiuè finitum ſit ipſum, ſiuè infinitum.

ARTIC. XXV.

INfinitum & nos dicimus cuius ſecundum quãtitatem accipientibus ſemper aliquid accipere extra eſt. Neque abhorremus ab hac definitione. Infinitum eſt cuius nihil eſt extra. Item, cui nihil eſt extra.

RATIO.

OMnium particularium finitorumq́, compoſitorũ aliquid eſt extra: quia in omnibꝰ eſt ſemper peregrinũ quod influit, & eſt propriũ quod effluit. Omniũ particulariũ aliquid eſt extra,

est extra, & sphæra totius è qua participant, & ideoquod in ipsis est, erat extra. Infiniti verò nihil est, neque fuit, neque erit extra. & ideo infinito soli conuenit vt eius nihil sit extra vniuersaliter, hoc est neque actu, neque potestate.

ARTIC. XXVI.

Finitum Aristotelis est ignotum, falsum, & impossibile: notum, verum, atque necessarium est infinitum plurium philosophorum.

RATIO.

Omnia videmus perpetuò ad aliquid finiri, siue sensu iudicante, siuè imaginatione persuadente, siuè ratione argumentante. Et difficilius est, persequi curā probandi terminū omnium extra quod nullum est corpus, neque vacuum, neque locus, neque spacium. hoc enim quomodo sit nunquam potuit persuadere præceptor Aristoteles, neque alius, & ideo finitum ipsum, & terminus vniuersalis, est inconueniēs, falsus & impossibilis. vt per alias proprias rationes indicauimus in dialogis de infinito vniuerso. Nullū infinitum terminatur, nisi quod est priuatiuè infinitum. id est incompletum, imperfectum, mancum, finem desiderans: non autem negatiuè, quod neque perfectè dicitur, neque imperfectè.

ARTIC. XXVII.

INfinitum dicimus non solum vt materiam, sed & vt actum.

RATIO.

NOn est materia infinita, sine aliqua potentia & actu, sed vbique actus, alicuiusq; formæ particeps. non est enim vacuum sine aere vel alio corpore- siuè vacuum capias vt spacium, siuè vt disterminans, non est locus sinè locato.

CIRCA QVARTVM LIBRVM VBI DE LOCO.



TRanslatio corporum indicat magis locum esse spacium, quam quidcumque aliud, Est igitur receptaculũ corporũ magnitudinẽ habẽtium, ad nullã quatuor causarum reducibile, sed per se quintum causæ genus referens.

RATIO

PRopter translationem (inquit Aristoteles) non solummanifestum estlocum esse aliquid, sed &

sed & quandam potentiam obtinere: sed ô Aristoteles, hæc potentia quinam esse potest in superficie potius quam in spacio? cur potentiam tendendi ad locũ suum non prohibitum, per superficiẽ dicis potius, quã per propriũ spacium? Indiuiduum secundum latitudinem, mathematicus (inquam) locus tuus, quomodo naturalem vllam vim admittere non nequeat? quæ enim physica qualitas potest superficiei corporis esse propria, vt trahat alliciatque locandum? quinam tripliciter dimensionatum, vna dimensio continebit? Illud sanè in quod transfertur corpus, opus est vt capiat, id verò quod capit, spacium est, non superficies: in tali enim loco, qualis est inter duos istos circulos, corpus solidum (cuius dimensiones omnes sunt æquales externo circulo) locari non potest. quomodo ergo superficiem externo circulo æqualem, sufficere ad loci rationem facies? Non ne corpus vndique se ipso plenum requirit necessariò aliud nullum corpus esse quod spacium ab extrema illa circumferentia, vsque ad medium totius, vel eius cuiuscumque partis occupet? Cur enim Hesiodus citatur rebus faciundis locum, vacuum, spacium, chaosque præponens, vbi ille non tecum (ô Aristoteles) superficiem continentem, (quæ nisi corpora sint, esse non potest) sed spacium quoddã supposuit, in quo mirabilem illã potẽtiã

prioremque omnibus esse oportet: ipsum sanè est sine quo nullum aliorum, quodque sine alijs esse posse intelligitur. Proindè quod duo corpora non sint simul, non prohibebit vna corporis continentis superficies, sed differens quod vtrisque debetur spacium. Hoc neque elementum est, neque ex elementis, non enim elementa corporea habet, neque incorporea. haud quidem corporea, quia non sensibile. haud incorporea, quia magnitudinem habet. Porro vacuum est seu spacium in quo sunt corpora magnitudinem habentia: siuè elementa, siuè ex elementis constantia percipias. Esse autem duas dimensionis species, alteras quidem spacij, alteras verò eius quod in spacio, neque impoßibile est, neque inconueniens, sed maximè necessarium. Neque est quod locum ad definitam aliquam quatuor causarum referre cogat Aristoteles, cum ipse nobis cũ tẽpore sextum causæ genus constituat, & Platoni exemplar addenti, septimum. Nec negamus Zenoni, quod cum locus sit, alicubi sit: est enim alicubi, vt in quo aliquid sit. non autem alicubi, quod in alio sit. Quæ non translata augentur, non mutant spacium, sed amplius adsumunt spacium, si illis augmentum accedit in ijs quæ a solo extrinseco principio, extrinsecus additione facta, maiora fiunt.

ARTIC.

ARTIC. XXIX.

LOci nimirum continere est, minimè autem terminare.

RATIO:

COntinere quidem loci est, terminare autem alius est principij, quod tantum & tale corpus locatum constituit. certè tutius dixeris illud quod terminat locum, esse locatum, quam è contra. nisi loci significationem quis trãsferat ad uas in quo aqua vel aer continendus, eiusdem mole atque figura terminetur. alioqui ideo mihi tantus locus est in aere & in aqua, quia ego tantus sum, & ideò terræ tantus locus est in cœlo siue spacio vniuersi, quia terra tanta est.

Differentia quidem inter locum & spaciũ hæc est, quia spacium est nomen absoluti, locus nomen respectiui: hinc spacium est locus propter locatum, & locatum maius, spatium maius exigat oportet: quod si ita est, potius potius locatum terminat locum, quam locus locatum. locatum enim definit contrahitque spacium, adesse locum, talem locum, tantum locum: quamuis nullum spacium sit sine corpore sicut nullum corpus est sine eo quod occupet spacio. Loci porrò est vt sit alicubi spacium, non alicubi in spacio. & spacij

est vt sit vbique locus, & non alicubi in loco. si bene percipiant Zeno & Aristoteles.

ARTIC. XXX.

STultum est locum ad esse materiam vel formam coactare, cum possit esse, sitque aliud.

RATIO.

POtuit sanè Plato dixisse, materiam esse receptaculum quoddam, & locum quoddam receptaculum esse. Non propterea calumniæ locus erat, vt iuxta Aristotelis censuram, receptaculum illi idem fuerit quod materia. & materia idem ac receptaculum.

Porrò si Plato vel alius quispiam dixerit locum esse materiam, talem intelligat materiam oportet, ad qualem, & per qualem, in qua & quæ nõ sit rei pars, sed rei subiectum propter receptiuã facultatem. & quia sicut eidem loco diuersa succedunt corpora, ita diuersæ formæ eidem subiecto permanenti similiter. Cur autem locum ad esse materiam vel formam obliget Aristoteles, non satis indicat, postquam in suis cathegorijs locum quantitatis speciem declarauit, & postquam doctor iste negat negat locum esse materiam vel formam, cum longe absit ab eo vt sit pars rei. Determinat

minat tandem esse aliquid, quod neque materia, neq; forma, neq; compositum quid sit. sed ferme quid logicum suo more, & nescio quale semimathematicum, vbi locum formam quãdam astruit, quia vti forma terminus rei est: ob litus eius rationis, quæ militat contra se ipsum Aristotelem, nõ minus benè quam contra Platonem. quomodo enim accidentalis formæ rationem obtinet respectu eius cui non inest vt forma? quomodo locus est locati forma, cum sit alius, nẽpe continentis corporis superficies? quid item ad locatum confert, et quid locato erit, si corporis contenti ideo forma, quia corporis contınentis superficies est. Si porrò locus non terminus, sed antiquiore & generalior, phisica & rationali magis significatione, spacium rei locatæ æquale est, habet sanè locus suũ terminum in spacio, sicut & res, & cum reipsa cuius locus est: conterminatum itẽ, nusquã rei terminatiuum intelligitur.

ARTIC. XXXI.

Totum fluuium non dicimus esse locum, sed spacium ipsum potius in quo fluuius est. Neque sphæræ medium aut vltimum locus esse potest, sed spacium quod implet illa, & ideò quãuis corpori non sit aliquid extra, erit nihilominus in loco.

RATIO.

SI locus sit spacium (inquit Aristoteles) infinita erunt loca, translato enim aere & aqua, idem facerent partes omnes. At nobis non inconuenit, partes aquæ esse in aqua sicut in toto. in spacio autem sicut in loco quas sanè finitas siuè infinitas accipias, finita infinitaque illis debebuntur quæ repleant spacia? Sique velis vnũ continuũ corpus aliqua ratione indefinitũ secũdũ partes acipere, non vrgebo. Cum item tota aqua transfertur, & partes aquæ consequenter transferuntur, non est necessarium quod locus transferatur. & consequenter loci sit locus: vt enim totum & partes transferuntur. ita totum atque partes locum mutant: dum tamen spacium, quod vniuersi spacij pars est, immobile permaneat. Quamuis igitur partes non mutent situm in toto, locum tamen cum toto mutant, vbi in aliud spacium transmigrant. Æquiuocè sanè ad locum qui est pars spacii vniuersi, dicitur locus qualis est vas. quod cum aqua plenum de loco in locum transferatur, locus cum locato transferri dicitur, propriè autem non minus locatum quoddam est vas, quam aqua. Ex his patet ratio, quare non totum fluuium, vel aliusmodi quidpiam dicimus esse locum, sed spacium in quo fluuius est. Non

cœlum

cœlum est locus, nec cœli quiddam, sed ſpacium in quo cœlum eſt. Non inquam medium in cœlo & vltimum locus eſt, ſed ſpaciū id erit, quod medio, & vltimo terminatur. Sic enim, non quædam tantum corpora ſunt in loco, & vniuerſum corpus, & corporis vniuerſi partes, in continuo ſunt illocata, quia in loco illud ſit, cui corpus aliquod eſt extra, continens ipſum: ſed quicquid corpus eſt, in loco eſt. Talis verè locus eſt, qui nihil rei eſt, qui neque maior, neque minor. ſuperficies verò continentis, aliquid alicuius corporis quod continere dicetur eſt, quatenus item continens contento maior eſt certiſsimè. Talis locus eſt propter traſlationem, in tranſlatione enim, non tantum oportet eſſe terminum ad quem, quanto magis ſpacium quod deſerat, per quod feratur, & in quo ſiſtat: & vt motus ſit in loco, longè magis incomparabiliter quæritur ſpaciū in quo quid mouetur, quam intra quem terminus. Neque tantum per poſitionem ſuperficiei corporis continentis, quantum per ſpacij poſitionem locatum poni neceſſe eſt. Talem oportet eſſe locum immobilem. Ita enim ſuperficies corporis continentis, ſicut & contenti, cum propriò moueantur ſubiecto, oportet. Talem quoque eſſe locum immediate adſiſtẽtem locato, cum ſemper inter duas ſuperficies duorum corporum, aliquid mediet oportet. ipſum

vere est aliud loci genus, quod vacuum interiectum disterminansq; dicimus.

ARTIC. XXXII.

Minimè verum est quod rectà mouetur magis mutare locum, quam quod circulo torqueatur.

RATIO.

Nihil sanè mutat locum, si ad vniuersale spacium quod est vniuersi corporis, quod circulo circa proprium centrum moueatur, referatur. Idem totius corporis considerabo spacium, nec propterea non existimabo ipsũ totũ mutare locum, quia vbi circulus iste circa centrũ mouetur, omnes singuleq; eius partes locum mutant. non minus quam si rectà moueantur. (A | B) quia quod est in spacio A. fit in spacio B. & quod est in spacio B. fit in spacio A. Putare autem quod tantummodò partes locum mutent, toto in eodem loco consistente, accidit ijs, qui tantum per extrinsecam superficiem & extremum suæ molis intelligũt hæc esse in loco: quia vno inconuenienti dato, plura sequuntur.

VBI DE VACVO.
ARTIC. XXXIII.

Cur



Vr non idem vacuum, locum, spacium, plenumq; dixerim: Neq; enim illis adstipulamur qui ideoquia aer aliquid est, vacuum esse dicunt.

RATIO.

VAcuum spacium vt pote in quo actu nihil sit nos non ponimus, sed spacium certè in quo modò vnum, modò aliud corpus necessariò contineatur, quodque primò ab aere repleri natum est. Est enim nobis ens infinitum, & nihil est, in quo aliquid non sit. Hinc nobis definitur vacuum, spacium vel terminus, in quo sunt corpora, minimè vero, in quo nihil est. Cum vero vacuum locum dicimus sine corpore, ipsum non re sed ratione à corporibus seiungimus. Sicut cum dicimus colorem pomi esse qualitatem illam visibilem in pomo, citra illud corporeum, tangibile, gustabile, odorabile, & quicquid aliud, colorem sine subiecto & concomitantibus accidentibus, non modo verè, sed etiam verum definimus, neq; mentimur, atq; si dicamus, colorem pomi esse sine substantia subiecta, sapore & cæteris. Dicentibus item vacuum esse spacium sine corpore, id est spacium illud continens citra corpus contentum, non accidit sanè idem esse vocē, punctū, et vacuum, quia illa spacia non sunt, in quibꝰ aliquod corpus esse possit.

Non

Non potest sanè Aristoteles negare, esse spacium vnum idemque, in quo erat aqua, & modò est cubus, quod cum neque aer, nequa cubus sit, quid erit? quomodo definietur? quomodo nominabitur? quare vacuũ illud non dicetur? quod nisi esset, non haberet certè corpus vbi alterius corporis loco succedat, neque locum vnde recedens alteri cedat. Nihil enim illuc mouetur, vbi aliquid aliud est, sed vnde cessit aliquid, aliud. qui a cubus iniectus in aquam, non est in spacio in quo est, sed in quo erat aqua, & vbi nihil est. sed si quid aliud esset, ipsum esse non posset. Vnde quidquid mouetur, quà nam mouetur, nisi per uacuum, vt pote per spacium, in quo nihil aliud est? neque enim per vacuum moueri intelligimus, vel in vacuo esse, in quo nihil est neque mouetur, ne ipsum quidem quod illic mouetur, ibiq; est. Vbi quoque densatio fit & rarefactio, oportet non minus quam vbi translatio fit, partem parti cedere, & consequenter corpus corpore trudi, in eodem loco. id non est possibile, nisi sit spacium à corporibus distinctum, successiuè vnum atque alterum recipiens. In spacio verò in quo nihil esse videtur, aer certe est, inter aerem vero atq; corpus sensibilius, nihil phisicè mediare dicimus, liceti mathematicè aliquid inter duas diuersorum corporum superficies semper intelligere oporteat.

Quod

Quod sane medium si nominare velis, non aliter certe poteris, quam alia ratione vacuum, locum, quod non sit spacium, sed spacij terminus. Sitq́ue reuera, vbi nullum est corpus non tamen spacium, sed spacij extremum, quod si vacuum apellare libet, vacuum corpora disterminans, esse intelligatur, loci, spacij, locatiq́ue conterminum. Dicimus quoque, quod cum aqua migrat in aerē, maius subiecta materia spacium exigit, minus verò cum in aquā transmutatur aer. Non propterea sequitur interdum alicubi vacuum esse sine corpore. natura enim ita prouidet, imo necessariò naturaliter fit, quod terra vel sole, nunc ad vnum, nunc ad alterum tropicum a ccedēte, in hisce sēper æqualis transmutatio succedat. Neque enim obest, quod plus aeris fiat ex aqua (vt ex vasibus quæ ex mutatione humidi in spiritū, perfringuntur, es manifestum) quia si hinc modica aqua migrat in multum aeris, modicum aeris alibi in modicam aquam mutatur. dum vitatur contrarium à contrario. Ad id autem non oportet circulum vel motum rectum desinire, Vndique enim aucta aqua vel aere, vndique totum corpus maius minusuè redditur. Non enim minus tardius ue crescit totus lacus, si illi è subterraneis emergat aqua, quam si defluat è montibus, vel è cœlo pluat. Ex ijs omnibus manifestum est

tandem

tandem, idem esse locum, spacium, plenum, vacuum, & quod non est aer vacuum ipsum, sed primum cui vacuum replere conuenit. Dicitur plenum quatenus habet molem cuius est succeptiuũ: vacuũ, vt sine illa intelligiur, loc9 vt cõtinet.

ARTIC. XXXIIII.

VAcuum est spacium in quo tot corpora continentur. Ipsum est vnum infinitum cuius partes ibi tantum sine corpore esse intelligimus, vbi corpora corporibus contiguantur, & alia mouentur intra alia.

RATIO.

VAcuum est à quo corpora recipiuntur, & in quo corpora continentur: recipiuntur, autem ab eo, dũ eodem spacio sẽper immobili permanente, (quo nihil fixius esse potest, aer vel aliud alio in ipso cedit. Interim igitur nihil per vacuum ferri intelligitur, quasi ante ibi nihil extiterit, quia aer est vbi nullum aliud corpus sensibile apparet. qui sane aer ipse esset loc9, ipseq;, esset vacuum, si non moueretur si non cederet corporibus alijs eodem succedentibus in spacio. Porro quia vbi erat aer, ibi aliud est corpus, vbi vna aeris pars extiterat, alia conuincitur adesse, ideo non ipse est natura loci, spacij.

spacij, vacui. Hic non est quod se torqueat Aristoteles, quod cũ cub9 tantã habet magnitudinẽ, quantũ habet vacuũ, propterea eæde sũt dimẽnsiones cubi, atq; vacui. potiusquã æquales. Sicut enim differt corpus cubi ab æquali vacuo & loco, locatum videlicet à loco, ita dimensiones corporis à dimensionibus spacij seu vacui differãt oportet. Neq; propterea sequitur, quod eadem ratione quotlibet dimensiones in eodem erunt loco: inconuenit enim simul duplices esse locatorum dimẽsiones. dimensiones autẽ locati atq; loci simul, compositasq; quodã modo esse, prorsus est necessarium. Nusquam enim tantum corpus locabitur, nisi tantundem sit (quod ipsum capiat) dimensione spacium. Oportet igitur ò Aristoteles, locum facere corporibus, præter cuiusq; molem, non enim aliter exceptio & collocatio fit, nisi in eodem spacio C. (quod est quid aliud à duobus) in quo erat A. fiat B. Cum enim cub9 transfertur, suas easdem secum habet dimensiones, ibidem ijs quæ sunt spacij perpetuò permanentibus: dum infinita in eodem successiue sibi corpora cedant.

ARTIC. XXXV.

Non igitur vllus erit motus si non sit vacuum, omne enim mouetur aut è vacuo, aut ad vacuum, aut in ex uacuo.

RATI-

RATIO

Nulla necessitate (inquit Aristoteles,) si motus est, vacuum esse oportet. Tum quia (contra Melissum) potest alterari plenum, tum quia in motu secundũ locum, corpora sibi cedant oportet. Nos ad hæc concedimus, & consentimus, non oportere esse spacium quod motum faciat sine corpore, tale enim vacuum & natura respuit, & nos vlla ratione non cogente, ponere non debemus: sed vacuum esse potest, in quo sibi cedant, succedantq́; corpora, si spacium idem reuera est, quod iam ab aere occupatum, ab aqua nunc occupetur, postmodumq́; ab alio aliquo posit occupari, ab hisce omnibus distinctum consequenter. Necesse est enim aliud quid vere esse, a me & ab aere spacium, in quo aer mihi, & ego aeri vicissim cedimus.

Quod item inquit Aristoteles oportere motum esse in tempore, & ideo vt motus sit temporalem esse oportet, cui mire obstat vacuum, quia nulla est proportio uelocitatis inter id quod per plenum mouetur, & quod per vacuum. Istud sane nobis non obest, quia non tale ponimus vacuum, quale alicubi vel aliquandiu immoretur sine contento aliquo corpore. Nihilominus tamen & si illud sit, non tollit propterea motum tempora-

temporalem. Non necessarium est moueri in instanti, quod mouetur per vacuum. Oportet enim etiam spacium non esse indiuisibile, neque corpus quod mouetur: Vbi verò spacium est corpus diuisibile, licet nulla ex sit parte medij resistentia, quid necesse est motum in instanti fieri? Si enim ponatur, quod ego per lineam A B. moueri debeam a termino A. ad terminum B. inter quos terminos neque aer neque aliud corpus iintermediet, nunquid non propter molem meam atque distantiæ A B. quæ est 50. passuum nihilominus mihi conficiendi erunt. 50, passus, quam aere mediante? Procul dubio quamuis velocitatis differentia soleat accedere etiam à diuidendo medio luto, aqua vel aere, nihilominus tamen aliæ tarditatis velocitatisque rationes reliquntur, oportet enim successiue alternatimque passus extendere. & successiuè pars post partem recedat à termino, moueatur per medium, & attingat terminum, & quodam ordine distantiæ partes, etsi nihil contineant, pertranseat. Neque propterea accidit vt aliquid per nihilum moueatur: vacuum enim non est absolute nihil, sed nihil eorum quæ mouentur. Est tamen verum spacium, locus, & necessarium omnium receptaculum, quod non minus debet esse verum, & necessarium Aristoteli, vt in eo sibi diuersa cedant

corpora, quam eidem materiæ necessariò verissimeq; esse oportet in eodem diuersæ recipiantur formæ subiecto. Quatuor igitur nobis in genere sunt velocitatis tarditatisq; rationes, aut quia medij, et spacij dimensio differt, facilius enim atq; citius cedit aer, quam aqua: aut quia ipsum quod fertur differt, quia velocius fertur quod magis valet sibi locum aperire. aut differt terminus ad quem est motus, sicut differt terminus minus naturalis a magis naturali, & naturalis à præter naturali: ad quos maiori, vel minori sponte vel violentia feratur. In his omnibus quod ad motum spectat, vacuum nihil conducere videtur, cui nõ motũ vel quietem sed locum & continentiam tantum est administrare. Vt enim materia æqualiter se habet ad omnium formarum receptionem, ita spacium ad omnium locandorum continentiam indifferenter. quæ quidem propria natura hinc indeq;. hac illacq;, huc illucq; versum definitè moueri contingat. Quatenus aliquid feratur per idquod erat plenũ, non fertur tamẽ per id quod est plenũ: & id quod mouetur in orbe mouetur sanè in spacio in quo nihil. quod verò mouetur motu recto, opus est vt aliud illi cedat. In ijs itidem quæ pellũtur volũtariè, et nõ cũ ratione. dicit Aristoteles virtutẽ acquiri à medio aere, vel alio, cum potius ab eo impediantur.

tur. ſed ipſum quod fertur, innatā vel impreſſam habet virtutem, qua ad illam loci differentiam ad quam pellitur, feratur. quæ virtus impreſſa quādiu durat, tamdiu pellit: vt vbi quis pilā ſurſum iaciat, illi leuitati proportionale impreſſit. ad cuius certe lationis differentiam nihil facit medium, quamuis ad lationem ſimpliciter ſit neceſſariū, quia niſi ſit ſpacium per quod feratur, nulla latio eſſe poteſt. Non tamē ideo eius eſt definire propter quid quod mouebitur ſtabit alicubi.

Ex hoc igitur quod vacuum nullam habet differentiam non neceſſe eſt corpora in vacuo quieſcere, vt videtur Ariſtoteli, ſed per vacuum vel a motu ſibi naturaliter vel alia ratione indito non impediri, quia vacui non eſt vt motum determinet, ſed vt ſit illud in quo, vel per quod aliquid quieſcat vel moueatur. vel vt natum eſt ſe habere, per ſeipſum, vel ad alia ſeſe habeat. Immo tale naturaliter oportet eſſe ſpacium, quale cum nullam ad motum differentiam habeat, vel faciat, non magis faueat vna, quam alia ratione motis: non magis ijs qui mouentur, quam ijs quæ quieſcunt. & ideo ſpacium per quod res naturaliter moueantur, potius debet intelligi vacuum quam aer aliudvè quod

resistat, vel cedere debeat. Sed decet esse in quo hæc mutuò resistant, atq; cedant. Vacuum non tollit proportionalitatem motus, licet enim tollatur ratio velocitatis, que est ab obsistente, remanet tamen ratio quæ est à duersitate terminorum, vt sursum & deorsum, ratio item que est à qualitate spacij, ea quoq; que est à mole mobilis, ea tandem que est à virtute pellentis extrinseci vel intrinseci: medium igitur nec est, nec esse potest velocitatis tarditatisq; ratio. Tandem qualecunq; & quodcunq; sit medium, per quod res ferantur, contra rationem videtur quod dicitur ab Aristotele, mobile à medio habere quòd moueatur, cũ per mediũ alia ascendãt, alia descendant, & quaque versum deferri videmus, hæc quidem & illa, tunc nuncq; tardius, illa vero & ista nunc tuncq;, velocius, in quibus quamuis quod est in medio (quod Aristoteli medium dicitur (aliquando magis aliquando minus resistit; vt aqua impurior, magis quam purior, hæc que magis quam aer, nũquã tamen medium per sese habere vim qua pellat, ostendi poterit.

ARTIC. XXXVI.

Vacui non solum continere, sed & disterminare est: & ideò ipsum locum sine corpore vel spacium in quo corpus est esse dicimus, neq; alio quam leui quadam ratione locum atq; vacuum differre sentimus.

Vacuum

RATIO.

VAcuum certè etiam oportet esse, quod disterminet: quod enim tellurem ab aere discernit ne sint continuum, nunquid tellus ac telluris superficies? aer ne an aeris superficies? Nonne disterminans aliud ab ijs esse oportet? Ibi igitur ponimus vacuum sine corpore, vbi corpora corporibus contiguantur. Ibi vacuum non est sic mathematicè spacium interiectum, quia est inter duo corpora necessariò, & inter vtriusq; superficiẽ positum, si enim duo corpora sũt contigua, quæ oppositis diuersisue motibus mouentur, vel quorum alterum mouetur, alterũ mouet, vel alterum quiescit, non est quod communem habeant superficiem, sed inter vtriusq; proprias, aliquod spacium, vel spacij terminus esse debet, quod qualecunq; sit, aliter quam vacui nomine inscribi non poterit, si neutrum esse potest extremorum. Haud aliter quam vbi vnitas est à dualitate discreta, intermedium aliquod sit opus est, quod neq; vnitas sit, neque dualitas, neq; numerus. vt igitur vacuum rationaliter est in numeris, atq; mathematicis, ita realiter intelligatur in physicis disterminans. Non datur vacuum, spacium, sed medium contiguorum corporum: si enim esset spacium haberet extremum distinctum ab extremo duorum

corporum & fortè oporteret, ad huc quærere in infinitum quid mediet intèr illa extrema vbi vacuum est locus secundum aliam rationē, quia est locus qui continet & est locus qui terminat.

Vacuum verò spacium in quo corpora continentur, est vnum infinitum, cuius partes alicubi sine corpore esse intelligantur, nempe vbi corpora corporibus sunt contigua, vt vnum continuum facere non videantur. ita tamen necesse est inter uerè continentem, spheramq; contentam, aliquid extet intermedium. Hinc igitur quamuis vacuum in vniuerso sit vnum continuum, propter corporum distinctionem habeat quodin insitum&, compræhendens distinguatur. quemadmodum quamuis [vna continua lux, quæ in aqua & in aere est, eā tamē quæ in aqua est ab ea quæ in aere est dicimꝰ terminari, tāquā a corpore, & à quodam inter vtrumq; corpꝰ medio] tanquam ab extremo. Hinc certè continentiæ dimensionum, specifica diuersitas non obsistit, quia vt in alio articulo dictum est, dimensiones vacui ad corporis dimēsiones collocandas nō sunt incompoßibiles, sedsunt adeò necessariæ, vt nullæ aliæ sine alijs esse poßint, quæ sicut dimensiones spacij minores, corpus minus, maiores corpus maius recipiunt, ita & nulla nullum. Mitto quod non solum dimensiones vacui (quod neq; substantia est, neq; ac-

cidens, si Peripateticè significent hæc nomina) concurrunt cum corporis dimensionibus, quod est substantia quædam. et cum dimensionibus lucis, vel coloris alicuius, quæ dimensiones corporis diaphani adæquant, licet dimensiones illas non luci, sed corpori illuminato proprias dicendo persisterent, Peripatetici: sed nos interim non vrgebimus.

ARTIC. XXXVII.

VAcuum tum seperatum quid à corporibus, tum ipsis imbibitum, tum vnum continuum dicere non formidamus: id enim necesse est.

RATIO.

NOn ita vacuum corporibus insitum dicimus, vt ex pleno & vacuo corpora componantur (quamvis fortè benè dictum sit apud eos, qui vacui nomen pro aere vsurpant) sed quia cum omne corpus collocari oporteat, & & spacij dimensiones quæ ipsum excipiant exquirat, oportet vt spacij dimensiones cum corporis dimensionibus sibi ita respondeant, & se inuicem adæquent, vt harum continuitas, cum illarum continuitate quasi correlatiuè mutuò se ponant. Vacuum igitur licet physicè

vere, realiterq; sit separatum, tamen a corporibus non est, sed ratione dictitante concipitur. Concipitur autem per analogiam corporum eodem in spacio succedentium. Sic materia Aristoteli, logicè concipitur, logicè tamen ipsa quid est non intelligitur sine forma vlla, per cuius analogiam cognoscitur.

Intelligitur ergo vacuum a corporibus separatum, vel quatenus naturam refert a corporibus distinctam, vel quatenus ipsis ad eorum distinctionem interijcitur. Corporibus item dicitur insertum, imbibitum, insitum, ob dimensionum eius cum illorum dimensionibus concursum. Continuum tandem vnum infinitum dicitur, quatenus citra habitudinem ad particularia, vnum est omnia recipiens, continens, terminans, comprehendens, aliud ab vniuerso, a particularium mole, & particularium terminus, diuersas suscipiens denominationes.

Quod tandem ad totam hanc materiam spectat, occulere nihil uisus est super hoc negotio Simplicius Peripateticus, magis quam suus princeps, qui post explicatam Aristotelis intentionem, melius: tandem definiens inquit. Vacuum quidem per se spacium & corporum quoddam receptaculum, quod etiam habet aptitu-

aptitudinem ob diversas ipsorum deifferentias, forte nondum ex dictis sublatum est. Etenim in raris & densis oportet esse quẽdam locum & interuallum, aliud à corporibus. quod quidem cõprehendit rarum. Non enim à corpore proximo fit, sed in ipso interuallo à quo corpus proximum impulsum, vel densum excessit. Videtur etiam Plato vacuum reuera, & omne corpore priuatum interuallum confutare, nam vacuum hoc actu quod euertat continuationem & consensum vniuersi intercidat, prorsus non est, neque quicquam confert vt sit.

VBI DE TEMPORE.

ARTIC. XXXVIII.



Tempus quod est mensura motus non est in cœlo, sed in astris, & primus ille motus quem concipimus, non est alibi quam in terra subiectiuè.

RATIO.

SI tempus ponatur nobis vt Aristoteli, mensura motus, non propterea ponetur in cœlo, cuius non est subiectiuè motus ille, quo omnia tempora & motus metiri dicuntur, sed certè in astro: si quippe motus ille quo omnia velocissimo raptu circa terram exagitari videntur, in terra subiectiuè re vera comperiatur, tot sanè erunt in vniuerso tempora, quot sunt & astra. Neque enim potest esse tale vnum in vniuerso, vt omnium motuum mensura existat: quandoquidē si nos essemus in alio astro, apertissimè constaret breuissimum motum omnium esse alium ab isto, sicut in Luna constat alium esse motum diurnum, vbi octo & viginti dierum spacio, in sua superficie recipit, quod hoc astrum tellus spacio viginti quatuor horarum. Proinde cum tempus vt quid fluens imaginetur, oportet ipsum continuè regulatissimeq́ fluens intelligere: at quinā motus iste diurnus illius potest esse mensura, quādo motus super linea æquinoctiali non sit diurnus neque æqualis? si non æqualiter per regulatos duos alios motus exorbitet, quorum alter dicitur octauæ, alter nonæ sphæræ dicitur proprius, vnde circuitus ille tū regulariter tū & irregulatè producatur? Atin motu illo quasduas partes æquales accipies? vbi duos fingeres motus proportionales? An si prouideas diuidendo hanc mensurā vnā,

motum

motum vnum,& distinguendo in duobus circulis, meridiano videlicet & æqui noctiali, aliquid pro mouebis,vt tandem certa lex partium vnius vel alterius circuli habeatur?

Porrò reuera omnes circuli, qui videntur & verificantur in cœlo per nostros astronomos,nō sunt nisi vsurpato nominè circuli, neq; fideliter per circuli canones iudicari possunt. Regula igitur motus diurni, siuè à sole capitur solo,siuè à terra tantum motu.siuè ab vtroq;.siuè ab his, siuè ab alijs circuitibus, nulla est prorsus neq; esse potest geometrica: si quippe regulariter diuidere lineam helicam non est possibile,& motus supra ea æqualis omnino & exacte ad rationem,non est naturalis,quo nam igitur pacto se commetiri poterunt motus atq; tempus?vbi enim est ista temporalis mensura?vbi est illud sibi æquum,quod aliorum æqualitatem & inæqualitatem iudicet? Qui a primus motus Aristoteli habebatur omnium regulatissimus,vtpote cui motus octauæ sphæræ hic singularis esset primus. ideo ex ipso capta est ratio temporis,& mensuræ durationis omnium: at quid nunc diceret, si alios motus comperiret, diurniq; motus mensuram millegeminis irregulatisq; commotionibus turbari videret? Iam vides ad quod& quanta errata vnius rei ignorātiaatq; præsumptio hominē istū adegerit. Ecce quomodo

cadunt

cadunt sex illæ rationes, quibus motus cœli, tempus asserebatur. tanquam per ipsum primò mensuretur duratio successiua. 2, quia sit maximè famosus. 3, quia sit omnibus communis. 4. quia sit inuariabilis. 5. quia sit primus omnium, 6. quia sit minimus, vtpote velocissimus.

Postquam de ratione mensuræ est primò vt agnoscatur per ipsa alterũ quantũ est, secundo vt sit vnius generis cum mensurato aut simpliciter aut per easdem conditiones alterum, vel vtrumque habeat longitudinem, vel successionem, vel intensionem. 3. vt sit nota, imò notior vt pote per quam alia innotescant. 4. vt perstet eadem, ne deceptionem causet in iudicio. 5. vt sit minima, vt nihil sit quod hanc mensuram subterfugiat, minima autem non simpliciter, sed secundum sensum.

ARTIC. XXIX.

Potius motus est mensura temporis, quam tempus mensura motus: verius enim per motum nouimus durationem, quam è contra: quamuis enim hæc mutuò se mensurari contingat nunquam quoddam tempus mensura motus erit, nisi prius quidã motus mensura temporis extiterit.

RATIO

RATIO

CVm tempus sit duratio quædam, quæ quidem licet absolutè mente capi poßit & definiri, tamen à rebus absoluta nō inuenitur. quia relatiuè ad durans & durantis dicitur. Sicut igitur locus vnus, infinitum vnum, infinitum spacium commune pro vniuiersò infinito esse oportet, ita vnū tempus commune, vna duratio nec finem neque principium vllum recognoscens. Et veluti sub vno infinito spacio continuo communi infinita particularium loca, propriaque spacia intelliguntur, quæ singulis quibusque quadrant, ita sub communi vna omnium duratione, diuersis diuersæ durationes atque tempora appropriantur. Differunt autem duratio atque spacium. quia vndique in generali & particulari spacium immobile manens, tempus verò velocißimè fluens intelligitur in ijs quæ citißimè mouentur, tardius in ijs quæ ægrius mutantur, minimè in ijs, quæ nullam suscipiunt alterationem, si quæ horum sub tempore licet collocare, ea quidem ratione, qua non eorum quæ mouentur modò, sed & omnium quæ sunt, & consequenter durare intelliguntur, tempus dicimus. dum tamen sicut locū vniuersalem, immensum spacium, ita & tempus vniuersale æternitatem dicimus. Sub vna igitur

duratione

duratione alia dicuntur æterna, alia simpliciter temporalia, & horum alia maioris alia minoris ætatis. & in his accidit menti accipere tempus, tum vt mensuram, tum vt mensuratum. dum vicissim tum quantitatē durationis per motum, tum motus quantitatem per durationem inquirimus: interim tamen nunquam tempus est mensura motus, nisi ipsum prius vt motus definitum capiatur. Imò semper tempus alicuius reuolutionis quantitas est, & propterea magis atque per se motus est temporis mensura, minus autem atque per accidens tempus est mensura motus. ita tandem vt verius dicamus non motum per motum, quam motum metiri per tempus. dum postquam motus quandam durationē pro mensura accepimus, per ipsum alias motus durationes examinamus. Ex quo constat, nos certè cognoscere de tempore per motum potius, quam de motu per tempus. Et certè vbi videt Aristoteles exemplo eorum septē qui Sardis apud heroas dormierunt, quod nulla est perceptio temporis, ob id quia nulla est perceptio motus, debebat poteratue concludere motum esse temporis mensuram, potius quam tempus motus.

ARTIC. XL.

Nihil

NIhilominus tempus esse dicimus, si omnia quieuerint: propterea non tempus sed temporis cognitionem motui alligare debuit Aristoteles.

RATIO.

CErte si motus non esset & mutatio, nihil temporale diceretur, idem vnumque esset omnium tempus, vna eandemq; duratio, quæ æternitas dicitur: imo tempus quod est cuiusque rei æta, nullum esset. esse igitur temporis iuxta suas species pendet â motu.

Iam si accidat omnia quiescere, accidet ne propterea hæc non durare? imo durant, vna eademque omnia duratione durant. Sed nullo existente motu, nulla durationis eius erit mensura. Erit igitur motus mensura temporis, seu durationis omnino in ijs quæ certam definitamque durationem admittunt, sed reuera magna ex parte id olfecit Aristoteles, cui cum placuit accipere tempus mensurã motus, tempus motum diurnum esse voluit, & ideo non accepit durationis speciem absolutè, sed secundum esse ad quandam motus speciem contractum. Si nusquam igitur fuisset motus, diuersæ non essent durationis species, sed vna & sine nomine (quod à differentia originem habet) æternitas. Sed si ponantur omnia quiescere, cur numerus temporis, a numero

motus

motus absolui nequeat, ego non satis videre possum, nisi pro principio habeam, vt temporis significatio omninò legi illius Peripateticæ definitionis coarctata sit, potius quam (vt fieri debet) temporis ratio tum absolutè tum respectiuè capiatur, vt tum vno, tum alio modo sit. Ex ijs autem modis tempus non modo vt motum numerans, atque mensurans, sed vt per motum mensuratum numeratumque capiatur. Quod autem ad quietem attinet, & hanc per motum mensurari dicimus atque tempus. quod si omnia quieuerint non propterea desinet tempus esse durationis mensura, quia vna erit omnium duratio, vna quies. Vnde sicut rebus motis, vnius motum per alterius motū iudicamus, ita tunc vnius quietem per omnium quietem & omnium quietem, per vnius quietē (nisi inæqualitatem de ratione temporis esse velis atque mensuræ,) tempus iudicabit. Quandoquidem mensura duplex est, alia quæ sumitur a parte respectu totius, vt cum dies mensuratur per horam, alia quæ sumitur a toto ad totum, & hæc duplex est, adæquata videlicet, vt vbi toto pondere B. quod est quinque librarum, ponderamus ponderabile C. totidem librarum, vel cum vlna ligni mensuramus vlnam panni. & proportionalis, vt cum gradu cœlesti, gradum terræ illi correspondentem mensuramus.

Hæc o-

Hæc omnia ita definita de tempore, vbi ipsum non durationis speciem sed ipsam durationem credimus: vnde tempus perpetuum æternitas est, finitum ætas est, secundum species innumerabiles. Si cui uerò libeat tempus pro mobilium duratione vsurpare, non inficiabimur, dummodò interim hoc habito pro principio, non impediatur a contemplatione plurium, quæ modò, aliasque tetigimus, & determinauimus. Quam bene etiam temporis cognitio motui alligata sit, & quam feliciter, inde constare potest, hic enim sufficit nobis, monstrasse locum: quia tempus quod æqualis & catholica mensura motus est, non potest aliter percipi, fingiuè, quam per motum, siue naturaliter a circuitione solis, vel lunæ, vel alterius astri, siuè artificialiter a fluxu aquæ, vel pulueris, vel conuersione punctorum, de quibus nullum non sensibiliter ab alio, & a seipso varium non concipimus. Et pro satis comperto habemus nusquam motus quantitati, & figuræ geometricè æquali, physicè æqualem motum, molem atque figuram respondere.

CIRCA QVINTVM LIBRVM.

ARTIC. XLI.



Vidquid in quinto librò, vbi de diuisione motus in species, de motus vnitate atque pluralitate, de motuum atque quietum centrarietate habetur, post prædicamentale, logicumque est, minimè quidem pyhsicum.

RATIO.

Q*Vis considerationes illas quib9 totus quintus liber physici auditus expēditur, logicas esse ignorat, præter eum qui inter naturales & rationales considerationes distinguere nequeat? Talia quoque logica sunt ratiocinia, qualia quid ad physicam conferre poßint, vel boni addere contemplationem, nihil certè video: iudicaremq́; prorsus hæc futilia. siquidē meum hoc negocium otio indignius esse iudicarem. deq́; ingenijs quibus talia sunt curæ, curandum non censebo.*

CIRCA SEXTVM LIBRVM.

ART.

ARTIC. XLII.

NVmquam physico propositio vera est, continuum (quodcumque sit illud) ex indiuisibilibus non componi. Sicut & quod indiuisibile moueri nequeat. 32. 86.

RATIO.

PRiusquam Aristoteles supponeret, continuum in infinitum esse diuisibile, diuidique in semper diuisibilia, indicare debuisset quomodo totũ vniuersum æqualiter sit diuisibile cum terra ista, & totus iste globus cum hoc pomo. Quomodo hæc licet finita sint inæqualia, per diuisionem in infinitum sunt æqualia. Siuè enim æquales, siue proportionales partes intelligas in quas fiat diuisio, semper ei quod est acceptum de maiori in infinitum diuisibili, æquale accipi poterit de in infinitum diuisibili minori: quia partes quas semel accepisti a maiori maiores, acceptis iterũ, atq; iterũ a minori mole minoribꝰ adæquabũtur necessariò. Quod si ita, cur nõ vtrumque est actu æquale totum? Quomodo non omnia continua æqualita non sunt, si ad æquales tandem

constituendas magnitudines, per proportionales saltem partes deuenire possunt? Cur non æquale actu est in vtroque, putà in magno et paruo, si ita infinitæ partes elici possunt, ex vno vt ex alio? quomodo æqualia sunt in potentia, actu verò inæqualia? Cur æqualis ista potentia æquale aliquid in quo fundetur, quodque æqualem cõstituat actum non cognoscit? quomodo finita inæqualia sunt, infinita æqualia? Dicis æqualia in potentia: at quis est actus huius potentiæ? dicis nullum: at quænam est hæc potentia, cuius nullus est actus? Dicis hoc ferre potentiam mathematicam, minime verò phisicam. At cur in infinitum diuisibile accipis quantum phisicũ in physicis, cum nusquam natura neque naturalis ratio in infinitum diuidendo progrediantur, sed in quibusdam minutis sistat oportet? Mitto quod neque Mathematici accipiunt infinitam simpliciter lineam, cuius nullus vsus esse potest, sed secundum quid infinitam accipiunt, quia illis infinitum est, quantumcunque, & quod non definitæ sumitur quantitatis, quatenus illis post acceptum, semper amplius accipere liceat. Quomodo cum linea A B. duplo maior, sit linea B D. per duplum in infinitum diuisibilis non erit? si in puncto C. est illi æqualis, & æqualiter in infinitum

nitum diuisibilis?



Ibi si diuisibilitas est duplex, quia lineæ Magnitudo est duplex, cur infinitas partium non erit duplex, & consequenter infinitum, quod est in linea A, sit duplum ad infinitum quod est in linea B. & infinitum in B. (siue in potentia sit, siue in actu, nihil differt) sit medietas infiniti in A? Quomodo vnum infinitum est maius alio in potentia vel in actu? An infinitæ partes vnius sunt maiores infinitis partibus altirius? Atqui (vt diximus) cum liceat quotcunque accipere partes à minori, tot certè tandem licebit accipere & duplicare, vt semper partes maioris adæquare poßint. Partes enim AB lineæ bis diuisæ in partes æquales, sunt æquales partibus lineæ BD semel diuisæ & in infinita, & infinities diuisibili. Non differt si toties vel quoties fiat diuisio. Porrò licet æqualiter vtrumque sit diuisibile, quia in infinito non est maius vel minus, & infiniti digiti, non sunt minus quam sunt infinitæ parasangæ, stabit tamen semper verum, quod duplo sunt plures partes æquales in linea A.

 quam

quam in linea B. vnde an in plura diuisibilis sit illa quam ista linea, & duplo maiorem obtineat potentiam, viderint alij. Tandem cur non iudicat Aristoteles, quod cum linea diuisibilis sit in semper diuisibilia in infinitum, & consequenter in infinito sunt infinita adhuc in infinitum diuisibilia, propterea illi nõ remanere locũ quare in primò physicorum tam strenuè vrgeat aduersus Anaxagoram, vt ex cuius sententia consequatur in infinito esse infinita infinities?

Cur non & infinities infinities vltra infinities infinita progrediemur, vbi in infinita infinities plura diuisibilis est superficies quam linea, et corpus infinities in infinita plura quam superficies? Aliud sanè est magnitudo mathematicè, aliud magnitudo physice sumpta. Est autem naturæ diuidenti terminus indiuisibile quoddam, quod videlicet in plura alia non diuiditur, cum in ipsum facta fuerit diuisio. quod etiamsi ratio & mathesis citra paxim omnem & vsum, ad vanam tantum contemplationem velit infinite diuisibile adsumere, faciat ad arbitrium. Facit certè natura diuisionem, per quam consentaneum est ad illas vltimò minimas partes deuenire, ad quas nullum artificium instrumento aliquo propius accedere possit; vltra quam cũ nullus actus naturæ, neque alterius causæ progrediatur.

dicatur, quid rationis est, quod tam subtiliter & egregiè non physicorũ more sed mathematicorum ludat ingenium? Ex minimis illis corporibus omne corpus componitur, corpus inquam sensibile, quod in minima illa cum fuerit resolutum, nullā certè retinere potest compositi speciem, illa enim prima sunt ex quib. omnia cõstantur corpora. & quæ propriißima fiunt omniũ corporaliter subsistentium materia. In eas partes resolutum os, nullam oßis habet formam: caro, nullam carnis: lapidis nullam speciem lapis. in ijs os, lapis, & caro non differunt, sed ex ijs diuersimodè compositis, compactis, & ordinatis, caro, lapis, os, & cætera fiunt diuersa. Ex horum duobus compositum, in horum duo est diuisibile, ex horum quatuor compactum, in quatuor horum est diuisibile. Et ita necessarium est, vt indiuiduum additum indiuiduo, faciat maius, quia indiuidua corpora physica sunt, non vanæ mathematicorum species.

ARTIC. XLIII.

MInimè omnium tempus à motu continuitatem habere dixerim. vel à magnitudine: quòadusque id melius probauerit Aristoteles, nusquã verò illud sibi cõcesserim quod

ait esse manifestum, & magnitudinem à tempore continuitatem obtinere, quia magnitudinis & temporis eædem sint diuisiones. 17,37.

RATIO.

SI cessante motu non desinit labi tempus, cur ab illo continuitatem habebit? cum tempus mẽsuret omnem motum. nulli certe motui alligabitur. Imò dum nullus motus comperiatur, nec probetur continuus regulariter, non tamen propterea durationem ipsam, tempusuè ipsum irregulariter continuum dicemus. Si item omnia ad hoc spacium quiescere intelligantur, non propterea illa hora non differet à semisse, & à puncto, essetvè momentum. Si rite definiatur tempus, videbitur per se illi continuitatem conuenire, quia per se quantum continuum est: quod autẽ mensuret motum, & mensuretur à motu, mensuret magnitudinem, & à magnitudine mensuretur, accidit illi, aduentitium illi quoddam est, & extraneum. Iam quomodo ratio eius quod habet per se, quodammodo pendeat ab eo quod respicit per accidens, ego non satis uideo.

ARTIC. XLIIII.

Licet

LIcet tempus & magnitudinem infin.ta concesserim atq; ponam: non tamen ideo isthæc eodem pacto in magnitudine, atq; tempore dixerim reperiri. 81.

RATIO.

QVomodo item infinitas eodem pacto sit in tempore & magnitudine, non capio, nisi quia vtrumq; continuum quoddam est. & vtrumq; mihi (non Aristoteli) immensum. An propter illam Mathematicam in infinitum diuisibilitatem? Porro tempus Aristoteli esse debet diuisibtle in infinitas partes aquales, quia æternum est, magnitudo autem quæ conuexo cœli terminatur, diuisibilis est in illas proportionales & imaginarias. Tempus inquam physice, realiter & verè est infinitum, magnitudo autem geometricè & variè. Tempori item infinitas est in praxi, quia semper partem vltra partem licet accipere, magnitudini verò est in phantasia infiniti continui in semper diuisibilia diuisibilis.

CIRCA SEPTIMVM LIBRVM

ARTIC. XLV.



X suis principiis (velit nolit) fateri debet Aristoteles motũ circularẽ motui recto comparabilem esse, cum alicubi tetragonismi possibilitatem supponat & asserat.

RATIO.

MOtus sanè circularis recto comparabilis est, si lineam rectam comparare circulari possibile est. siq; temporis continuitas, motus corporisq; mobilis continuitatem consequitur, cur non proportio erit inter velocitatem & tarditatem in motu per duas lineæ species regulares? Sed de ijs quæ sunt circa geometrici tetragonismi possibilitatem, partim vbi de somnij interpretatione discussimus, partim alijs in locis definiemus.

CIRCA OCTAVVM LIBRVM VBI DE PRIMO MOTV & motore.

ARTIC. XLVI.

Quod

QVOD dicit Aristoteles, lationem cæteris motibus esse priorem, non probatur nobis.

RATIO.

CVr latio cæteris motibus prior erit, si ita se habent mobile atq; motus, vt nihil moueri incipiat, postquam non mouebatur, nisi certè nouam aliquam dispositionem acquisiuerit, qua illuc hinc deferri incipiat. Mitto quod mundo existente æterno, non potest prius naturaliter esse cœli motus, quam alteratio eorum, quæ à cœli motu gubernantur. Nullum quippe ita opinantibus, & alijs, instans esse potest, in quo non continua rerum mutatio perseueret. Quod si ad non prius tempore vel duratione, sed ad prius natura recurrat Aristotelis mentio, nos quoq; priusquam aliquid moueatur localiter, nouam natura præcedentem dispositionem, vel ab extrinseco efficiente seu mouente, vel ab aliqua intrinsecus in subiecto mobili innouatione imbuisse oportere asseuerauimus. Cur enim nunc moueri incipit, cum prius non moueretur, si alia nouitas aliqua non illud ad alterat?

ARTIC. XLVII.

NEcessarium est lationis continuitatem alius motus continuitatem consequi: cur igitur dixit præter lationem alium motum non esse continuum? 61.73. Nos verò ideò continuam dicimus lationem, vt alij motus per eam continuentur.

RATIO:

IDeò sanè est motus, vt generatio, seu alterationum vicißitudo compleatur. minimè autem ea ratione generatio alteratioq; est, vt localis motus consequatur. Ideò est motus, vt ea quæ sunt composita seruentur, & omnino motus omnis ab indigentia aliqua deriuatur. Quod enim omnicompos est, nulloq; indiget vt illi addatur accedatq;, non est quod moueatur. Tale autem de corporibus subsistentibus viuentibusq; nullum est. Si igitur nunquam frustra cœleste corpus mouetur, nimirum motus eius continuitatem continuitas alia perpetuò concomitatur. Porrò considerauit Aristoteles in particularibus quibusdam quæ mouentur ad nouam generationem, ex quibus cùm genitum fuerit quippiam quiescunt: quæ ad quantitatē mouentur, vbi adaucta imminutaq; fuerint, non vltra progediuntur: at ex talibus non debebat neq; poterat illud inferri vniuersale, quo assereret vnam solamq;

lamq; lationem de motus speciebus esse continuã. Astra enim omnia vt tellus & luna quæ præcipua mundana sunt corpora, ne instans quidem prætereunt, in quo non etiam alterentur. Similiter & particularia quæ in ipsis reperiuntur subiecta, in quibus non est quod vnam, certamque motionis, alterationisue speciem spectes, sed communiter alterationem, & mutationẽ. Ubi verò vniuersalis propositio formanda est, non respicere debemus ad hoc compositum diuisibile seu dissolubile, ad hoc indiuiduum, sed ad ipsam subiectam physicamq; materiam, quæ nihilominus continuò sub alteratione fluctuat, quam globus vniuersalis varijs lationis differentijs agitetur. Licet enim in quibusdam quædam alterationes lateant, quæ in alijs euidentius sese promunt, nõ tamẽ inde abesse intelligũtur, licet etiã secundum quasdam species intendi remittiq;, incipere & desinere videantur: in alterationis tamen genere, non minus continenter suum cursum peragunt, quam cœlum vel globi cœlestes in quibus Aristoteli motus ille continuus regulariter reperitur, perseueratq;, In cæteris enim, licet continuus, irregularis tamen, trepidansq;, & quodam modo non continuus consequenter habetur motus, quia quod augetur, calefit, decrescit, discit, etc. non ita temporibus æqualibus, æqualẽ

magnitu-

magnitudinem, calorem, mensuram, & doctrinã recipit. sicut quæ in circulũ mouẽtur. æquales æqualibus temporibus arcus in suo circulo describunt. sed an talis æqualis arcuum descriptio, an geometricus iste circulus, seu geometricè regularis latio reperiatur, superfluum est amplius ambigere: multoties enim attendimus non mathematicam sed physicam regularitatem spectandam in rebus esse, ad quam regularitatem non magis referre licet vnam, quam cæteras vniuersas motionis species. quæ ita mutuò se concomitantur, vt mutuò inuicem concausare videantur.

ARTIC. XLVIII.

EST sanè primus motor id est præcipuus, vnusque vniuersalis à quo, & per quem omnia mouentur, vegetant, viuunt: in ordine autem æthereorum corporum nullus motor aliqua ratione primus inuenitur.

RATIO.

MOtus diurnus Aristoteli vulgoq; philosophorum, primus motus est, cui consequenter secundus, tertius, & deinceps sunt cæteri à Saturni vsq; ad Lunarẽ sphærã cõputati. Alijs vltra motũ diurnũ in fixis, vel suprà fixas alios mot9 intuentibus, secundus, vel terti9, et vltrà motus est à sphæra fixarum. Iam qui erit hic primus

primus motus, si ille aliiq; qui generaliter in vniuerso quasi continuo vno circa terram deuoluto reperiuntur apparere, in terra ipsa vere esse subiectiuè conuincentur? dum primo ad diei noctisq; vices circa proprium centrum ad solis gemino conuertitur aspectũ hæmisphærio: secundò ad annuas tempestates variandas, circa solis regionem intra certos hinc inde positos polos: tertiò ad sui ipsius renouationem, velutiq; renascentiam, alibi, aliosq; mũdi cardines designat, qua certis distributa seculis, non autem perpetuò, quædam eius membra frigore torpeant, alia verò calore exæstuent, alia superfluentibus vndis subiaceãt, subq; vorticibus contineant præruptos anfractus. quædam continuis aeris apertioris tempestatibus exponantur nunc has, nunc verò illas proprij corporis partes iusta quadam vicißitudinum distributione torridæ Zonæ subiacentes, æquinoctialis lineæ cingulo præcingit, & cætera quæ istud consequuntur ad tropicos atq; polos accidentia in aliis subinde cõceptis in propria superficie lineis atq; punctis Dumq; interim pariter cætera ad solem nobis affinia mouentur astra, qui nã erunt orbes horum deferentes? qui motus primi? qui nã secundi? Si motus ille qui videtur vniuersi, soli globo sit proprius, qui erit extrinsecus ille motus generalis extra omnia, cuius phãtasiã pariat motus iste, vnicus et indiuiduus. qui in hoc paruo solo

singulariq; globo, conuincitur. Quod discrimen est, si vel omnia circa paruam cimbã temere moueãtur fere instãtaneo rapidissimo & dispergẽte motu, vel frugaliter hæc suum cursum peragens cæteris manentibus moueatur et conuertatur? Si inquam vel vnus tantum motus naturalis possibilisq; sit intra alia, vel impossibilis infinitorum circa vnam. An igitur hic qui nobis uidetur primus & vniuersalis, alijs idẽ null9 est, sed ex vniuscuiusq; proprio astro alij atq; alij per innumerum mundorum seu stellarum numerum, appareant. dum vel ipsi orbes circa proprium centrum, vt tellus hæc, conuertantur, vel circa aliud conuersis medium, diurnæ lucis atq; tenebrarum vices commutantur, vt apertè in luna apparet ob em causam, quia nobis finitimum est astrum. Nullus ergo primus motus est generaliave quadam, si astris omnibus à propria anima proprijs motibus moueri conueniat. Nusquam primus est motus tempore cæteros, vel natura antecedens locales, si ex astris tempore prius non reperiatur vnum, neq; natura patitur ignea astra sinè aqueis, neq; aquea sinè igneis, neq; spacium inane. Si ergo ex corporibus nullum est primum, neq; motus ullius, neq; motor vllus erit, quandoquidem cuiusq; motoris propria anima est.

ARTIC

ARTIC. XLIX.

PLusquam puerilis nænia est primum motorem tanquam in præcipua sede, in circumferentia mundi collocare. Sed quod Aristoteli & vulgo primus motor est, tamque dissitum ab iisdem cernitur, a nobis extra terræ circumferentiam non reperitur & in medio terræ principaliter procul dubio residet.

RATIO

IAm si ita se habeant, quæ proximè supra dicta sunt de primo motu, quis est ei in mundi circumferentia locus? Nulla enim ratio est pro vltima circumferentia, nullus terminus, nullus finis aeris immensi, neque habet totum hoc æthereum eiusue pars, vt circa terram vertatur, neque prorsus talis vllus cæli motus esse potest, sed ipsum est in quo corpora mundana suos percurrunt circuitus, quorum quidam nobis sunt sensibiliores, quidam parum sensibiles, insensibiles alij. At esto vniuersus si finitus, vnum continuum, vnus mundus, vnum corpus sphæricum, circa centrum mobile, quod tamen vllis demonstrationibus fieri non potest verisimile.

*** Ratio hæc multum facit ad motum terræ,

conuicendum, item ad præsens propositum, quia cum vniuersum non sit continuum mobile, quomodo à circumferentia & non ex omni parte agit? quod si plures concedes esse motores, cur prior, superiorq; potius quã secũdo & inferior? Dices quia maiore orbẽ mouet. At an non naturaliter ita maior atque minor mouetur? An non multus ignis facilius mouetur quam paucus? Si dicis propter influentiam, dicis rem fictam. Mitto quod illa nihil facit ad virtutem motoris, qua vertit, pellit, girat, mouetq; quia aliud est influere & gubernare, aliud est mouere, licet nõ influat nisi mouendo. Nos enim de primo motore, qua motor est quærimus ***.

Argumentatur enim hanc dissolutionem & incontinuitatem, quod fictorum orbium deferẽtium diuersissimis motibus omnes conuertuntur, quomodo igitur possunt vnum continuum corpus efficere? quomodo in vnico motu concurrere possunt, qui vnius tantum continui est, quod discontinui prorsus esse nequeat? quinimo eos qui moueant primo motu, oportet esse tot motores, quot sunt cæli, orbes, epicicli, astra & omnia quæ per diuersum motum, discontinuitatis argumenta faciunt. quo quid absurdius? vel motorem vnũ diuersis pulsibus distractum ita omnia mouere. quo quid inconuenientius? quæ causa erit, vt

potius

potius obtineat periferiam, quam medium? Cum in continuo nulla pars mouetur sine totius motu: ideóque motus non magis est centri, quam circumferentiæ. quia prorsus vnus idemque continui totius. Neque est verum quod pars circumferentialis velocius moueatur, quam pars centralis, quia hæc pars cum illa, & illa cum ista vt vnum continuum simul mouentur. Neque verum est semper, quod velocius est illud quod æquali tẽpore maius spacium præterit: talis enim comparatio locum habet in diuersis mobilibus, non inter partes vnius continui. Vbi non minus velocitas partium circumferentialium sequitur velocitatẽ partium centraliorum, quam velocitas centraliorum partium, sequitur circumferentialium velocitatem. Ideoque propriè vna eademque est omnium tarditas vel velocitas. Mitto quod vbi motus est a natura, seu ab anima, conuincitur perpetuò esse à medio, à centro, sicut experimur in nobis ipsis, & argumentamur in omnibus, tum mobilibus tum & motus speciebus. Vnde cum terra sit animal quoddam diuinum, & à propria anima principium habet, eidemque verè conueniat motus ille diurnus, qui vniuersalis motus apparet, motorem suum potius in suo centro, quam in sua vel aliena circumferentia recognoscit.

ARTIC. L.

IN vniuerſo tandem phyſico auditu è multis quos adduxit Ariſtoteles ſyllogiſmos, ne vnū quidem attulit demonſtratiuum.

RATIO.

VBi principium, cauſam, naturam, motum, infinitum, locum, vacuum, tempus, & reliqua conſiderationis ſubiecta, male definita ſunt, nihil eſt quod vere de ijs, magis quam de non ente demonſtrari poſſit. Non ne & Ariſtoteli & omnibus confirmata ſententia eſt, quod ante demonſtrationem, de ſubiecto præcognoſcere oporteat quid ſit ipſum? Iam ſubiectum ſub conceptu malæ definitionis, non eſt ipſum, non eſt verum. Ex quo quicquid de ipſo in concluſione ſillogiſticaprædicatur induciturque, tanquam de non ente inducitur: & remanet argumentationis forma ſeu ſpecies, ſinè ſubiecta materia. Prouenitque aliquid logicum, magis faciens ad ingenij inuenilis exercitium, quam phyſicum, quodque ad veridicam mentis pertineat formationem.

Finis in 50. Phiſici auditus Articulos.

CIR.

CIRCA PRIMVM LIBRVM DE COELO ET MVNDO.



X ipsis quæ in principio libri de cœlo præponit Aristoteles, pueriliter admodum mundum esse perfectũ inducit: quinimò Peripatetici omnes medium ad probandam mundi perfectionem non habebunt.

Ibi potissima Aristoteli ratio est, quod cum manifestum sit intra magnitudinis species corpus esse perfectum, patebit etiam vniuersum ratione qua corpus, esse perfectum, quia per partes discretas, quarum nullam excludit, est omne: per partes continuas quibus constat, est totum: per formam tandem suam est perfectum. Itidem ratione qua vniuersum est, perfectum dicitur: sicut enim ideò corpus est perfectum inter magnitudines quia non transit in alius generis magnitudinem, ita est & perfectum in genere rerum, quia non terminatur ad aliquid aliud quod sit extra ipsum, quandoquidem extra vniuersum nihil

nihil est. alioqui perfectum non est. Hic oportebat addere quod extra non sit aliquid sui & ad ipsum pertinens, quia dicet esse ibi infinitum, & immortale vitam viuens sempiternam. At (ò bonè) si ideò dicitur perfectum quia nihil est vltra ipsum, eadem ratione omnia indiuidua sunt perfecta: namq; sicut hæc terminantur ad aliud diuersum, ita & mundus ad aliud diuersum (quod est intelligibile) terminatur. Neq; obest quod in genere corporum perfectissimum est vniuersum, quia extra ipsum non est corpus, hinc etenim nulla sequitur pro ipso ratio, nisi circularis & petens quod est in principio. Extra enim hoc finitnm ab Aristotele immaginatum, nos intelligimus infinitum spacium, astraq; seu mundos infinitos. Quod si ita iam Aristotelis vniuersum perfectum est & eius perfectionis difficultas intacta et non improbata remanet, vniuersum quoque si sit infinitum, ideo etiam perfectum erit quia extrà ipsum non non est in quod fluat vel terminetur, vnde apertè vana relinquitur hæc perfecti definitio. & consideratio perfectionis vniuersi sub ratione non decidente atq; discernente siuè finitum sit illud, siue infinitum, laborat sub æquiuoco, vtpote sub diuersis genere rationibus.

ARTIC. LII

COnstat apud nos spherica esse astra, èque sphæricis corporibus nullum esse, nec esse posse simplex. Corpus enim solidũ, atq; sensibile ex pluribus consistat elementis opus est: nullum quippe elementorum (vt elementi veram obtinet rationem) sensibile esse potest. & ostendemus hanc sphæricitatẽ astris cõuenientem non esse exactam geometricè, seu ad mathescos normã, sed iuxta physicis corporibus conuenientes differentias.

ARTIC. LIII.

QVam leui persuatione motus, ipse mouetur, & nos mouere contendit Aristoteles, vbi trium suarum lationum differentias concludit ex trium magnitudinum seu dimensionum differentia. Nos enim nullum sursum vel deorsum nisi respectiuè intelligimus: neque diceremus vmquam principium vnde motus, esse rationem dextri: ad vnum quippè situm quod est dextrum, ad alium secundum alias loci differentias inuenietur, puta sinistrum, antè, supra. Mitto quod cum infinita sint mundana corpora & infinita mundi dimensio, nec deorsum esse poterit neq; medium,

neque sursum. In corpore etenim rotundo quale imaginamur cœlum, sex differentiæ concurrunt; in sphæra enim altitudo, latitudo, & longitudo idem sunt, nec non motus qui sub æquinoctio habitantibus dicitur secundum altum et imum, sub polo habitantibus dicitur secundū latitudinem his quidem dextrorsum, illis verò sinistrorsum. At motus accessus & recessus ad polos, qui est secundum latitudinē ad dextrum sinistrumque æquinoctialibus, erit idem secundum differentias altitudinis, (puta sursum atq; deorsum) polaribus. Neq; item est ratio quare vnus polorum dicatur sursum alter verô deorsum, præterquam diuersorum accolarum respectu. Quod verò dicit Peripateticus esse ex natura rei distinctionem partis superioris, vbi nobilior est cœli motus, quare polus antarticus debeat ea ratione superior appellari quod nobiliores & nobilioris influentiæ stellas cōtineat quam arcticus: hac nuga oblitꝰ non vtitur vbi nobilior cœli pars illi sit sub zodiaco, neque persuasionem habet Aristoteles prò verbis istis quibus ille stellæ istis comparentur.

Porrò nobis quibus astra vniuersa in aere contineātur infinitum complectente spacium, vnde nō minus neq; alia ratione terram cœlo contentam atq; firmatam intelligimus, quam alia astra, perit omnis quæstio de localibus cœli differentiis.

A RT.

ARTIC. LIIII.

NVlla apud me, naturaliter se habentis, naturalis latio est præter circularem, quam circa medium apellat Aristoteles. Porro nos non vnam dicimus circa medium lationem, sed certè plures quam astra. Quia terra multipliciter mouetur circa proprium centrum, & non vno modo circa solem, vt pluribus alibi demonstrauimus. Est porrò motus circa medium duplex in specie vniuersi, alter aqueorum astrorum seu tellurum circa ignea astra siue soles. alter partium cuiusque astri circa totius medium (neque enim per se luna mouetur circa terram dum differentias distantiarum & relationum ad solem percurrit, ita tamen (vt in tellure hac) vt non magis circa centrum, quam a centro & ad centrum per omnes sphæricæ dimensionis differentias moueantur, circuitus enim hic non ad gemetricam, sed physicam (vt alibi pluribus insinuauimus) normam perficitur.

ARTIC. LV.

CIrca terræ centrum non est alia latio præterquam partium eiusdem. Quæ non magis circa centrum mouentur, quam à centro

& ad centrum secundum omnes differentias etiam aquæ quæ membrum sunt totius: haud enim aliter flumina benè consideranti circa centrum mouebuntur, motus enim quem in superficie conuexa telluris peragunt circumferentialis est omninò, minimè rectus.

ARTIC. LVI.

IN naturalibus nullum simplicem motum verificare possunt Peripatetici philosoph. neque eorum pedissequa astronomorum turba, quia nusquam natura fert Geometricum circulum vt supra innuimus, & aliàs pluribus demonstrabimus.

ARTIC. LVII.

QVid absurdius dici potest quam quod corpora composita, secundum corpoream substantiã in ipsis prædominantem mouẽatur, si metalla quorum substantiam aqueam profitetur Arist. ad fundum aquæ feruntur? sique ait idẽ Aristoteles esse quædã quæ composito agantur motu composita?

ARTIC. LVIII.

NVllam spherarum motu rectò agitari videmus, quia certè nulla grauis est aut leuis.

Frustra

Frustra igitur princeps Peripateticorum corpora superiora per lationem comparat inferioribus. Dicamus igitur sentiamusque melius, omnia cum in loco suo moueantur, circulariter moueri, dum interim partes omnium extra suum locum positæ (si detur aditus) rectà ad ipsum vbicumq; fuerit, transferentur: quare omnes motus naturales, naturaliumq; motuum species, circulares sunt, vel circularem motum quærunt & imitantur. Nullam igitur corporum partem grauißimã dicis quam eandem leuißimam dicere nõ poßis, itemque mediocriter se habentem, & interdum neque grauem neque leuem: quandoquidem secundum sphæricæ dimensionis differentias omnes partes agitantur omnes. Interea peßimè asserit Aristoteles eò ferri totum quo pars fertur: siue enim sursum, siue deorsum quo fertur gleba, numquam terram ferri poßibile est: sed necessarium est eò naturaliter ferri glebam, quò, vel quorsum terra fertur.

ARTIC. LIX.

NOn magis ingenerabilia, incorruptibilia, inaugmentabilia & inalterabilia esse cætera astra, quam tellus ista (si rem penicius intuebimur) videbuntur. Propterea non sequitur quod di-

quod diuina corpora tollamus è medio, locum, sedesque deorum, fortunatorumque animorum euertamus, incorporeis quippe substantiis quis corporeas pro locatione sedes necessariò destinabit? Cur ergo ad aliud cœli genus, in quo æterno æuo frui dicuntur mentes, oculos non adtollimus? Adde igitur per eam (quæ infra habebitur) corporum naturalium distributionem, quod quemadmodum non benè Anaxagoras vtitur nomine ætheris (si non mentitur de illius opinione, vt facere consueuit in omnibus Aristoteles) pro igne, quasi omnia astra ignea sint: ita nec benè Peripateticus per ætheranon non astrum currens intelligit, sed orbem deferentem.

ARTIC. LX.

Mundum esse finitæ quantitatis nusquam probat Arist. nec quiuis alius vnquam probare poterit. Nisi nomine mundi vtatur pro ea quæ apud nos est significatione, quibus idem est mundus, & astrum. Dicimus ergo vniuersum substantiam infinitam, molem infinitam in spacio infinito, siue uacuo, plenoque infinito. Vnde vniuersum vnum est, mundi verò innumeri: licet enim mundana corpora singula finitæ sint magnitudinis, numero tamen omnia infinita sunt: neque enim finis vllus præscribi potest

spacio

ſpacio ætheris immenſo in quo tot aſtra (ſicut & tellus eſt aſtrorum vnũ) veluti diſſeminata cõſiſtunt. vnum itaque cœlum. Mundorum verò, vtpotè aſtrorum extra quemlibet, aerem infinitum vt vnum continuum intelligimus, extra vniuerſum autem re vera nec locus, nec plenum, neque tempus datur: quod manifeſtius patet ex eo quod interminatum quiddam eſt, quam ex alia cauſa quæ poſſit ab Ariſtotele produci in medium.

ARTIC. LXI.

HIc neque ipſemet ſe nouerit extricare, ſi cogatur afferre modum quo extra mundum eſt aliquid non ſeneſcens, intranſmutabile, inalterabile, impaſsibile, optimam vitam habens, per ſe ſufficiens, totóq; æuo perſeuerans: quomodo enim ea quæ illi minimè materialia ſunt, non ideò finita & corporea intelligi poſſunt, cùm ad certã loci, ſituſque differentiam reuertantur? Quomodo ſenſibile intelligi poteſt locali differẽtia ab intelligibili terminari?

ARTIC. LXII.

CVr item inceſſabilem motum ad diuiniorem rationem potius referre potuit, quam ad infirmiorem, niſi quia cum vulgari ſenſus pertur-

perturbatione ducitur & aberrat? Cur etiã quod eundem dicit esse locum vnde incipit & in quem finis motus eius quod circulariter fertur, non efficit vt recentiores astronomi adtestentur huius hominis philosophiam in ijs quæ modicæ antiquorum astronomorum obseruantiæ deerant esse fundatam?

ARTIC. LXIII.

M*Vndus quem antiqui philosophorum parentes genitum esse dicunt, postmodumque sempiternum, inter quos est Empedocles, non est vniuersum sed hæc machina huicq; machinæ similes: de ipsa quoque & de ipsi similibus dictum intelligitur de generationis, corruptionisque vicissitudine, quam nouit Anaxagoras: quorum neutrum quippiam contra naturæ rationem efferere confirmamus: vtrumque enim rectè philosophantibus probari posse conspicimus. De vniuerso verò quod ingenerabile sit & incorruptibile nemo philosophorum est qui contenderit: eorum inquam qui inter vniuersum atque mundos discrimen faciunt, quique infinitam substantiam cognouerunt. Illud ergò quod ex inordinato factũ esse ordinatũ dicitur, ad particulares*

mundos

mundos refertur & animalia quædam: vnde in vniuerso non sequitur generatio & corruptio, sed eius dispositionis conditio, & in eius partibus vicißitudo & ordo. Ita & proportionaliter hoc astro quod incolimus vno eodemq; suo modo perseuerante, animalium, plantarum, aliorumque multorum vicißitudo generationis corruptionisq; perficitur. Licet etiam dari nequeat ingenitũ incorruptibile, quid impedit quominus esse poßit genitum quod minimè corrumpitur? hæc etenim astra licet omnia genita sint, talem nihilominus nacta sunt animam, & tale illis adstat efficens primũ, quale hãc velut abextrinseco perpetuò materiam tenacißimis vinculis valeat cohibere. Perpetua igitur hæc benè adtestatur Plato ab Aegyptÿs & Pythagoricis, & Siculis philosophis edoctus (quantumuis nõ sine potentia ad dissolutionem, exque contrarÿs elementis composita non existant) qui primum Deum circumstantes sibi deos alloquentem introducit. Vos quidem dissolubiles estis, nequaquam verò dissoluemini.

CIRCA SECVNDVM LIBRVM DE COELO ET mundo.

ARTIC. LXIIII.



Mmortale illud cœlum atque diuinum, cuius motus incessabilis, neque principium habens neq; finem, omnia continens, nihil aliud secundum substantiam esse dicimus, quam aerem, neque eius alium esse motum, quam aeris. Porrò aerem duplicem cognoscimus, talem videlicet qualis est turbulentus atque tempestuosus, qui est pars substantiæ telluris, & ad vnius globi istius constitutionem concurrens: & tranquillum alium qualis est circa tellurem permeantibus astris vndique cedens, omnia continens, vniuersa sustinens 2.

ARTIC. LXV.

CÆlum dijs, antiqui atque recentiores attribuerunt, vbi illi per deos verè astra ipsa

ipsa intellexerunt: ex quibus nullum fateri possum primum deum esse posse: licet Chaldeis ex ijs quę sunt apud nostrum globum, sol medius inter astra hæc septem, templum, magnique Dei tabernaculum habeatur: & Pythagoricis Deus sit infinitus spiritus omnia penetrans, comprehendens, atq; viuificans. 3. Astrorum igitur vnum terra est, quę non minus digno altóque cœlo comprehenditur quam quodcumque ex alijs aliud. Inter hæc ingenerabile, incorruptibile que est aer immensus, vtpote corpus spirituale omnia stabiliens atque firmans, qui aut est prima substantia, aut certè ex omnibus illi proximus qui primum est efficiens, ex atomis atque spiritu solidiora spissioráque corpora (qualia sunt astra, astrorumque membra) compaginans. Ipse est figuratum firmamentum per vectorem Athlantem omnia sine labore sustinentem, cuiq; lassitudinem & imbecillitatem nullum graue contranitens inducit. 3. Tellures superiores igitur non sunt graues neque leues, sicut neque terra ista vbi mole sua in regione infinita consistit. Non minus igitur neq; alia ratione cætera astra non habent quo cadant, quam ista tellus vndiq; ad aerem indifferens: quamobrem non aliunde motum sibi decernunt, quam ob opportunitate vitæ, igneorum quidem corporum ab aquis, aque-

orum verò ab ignibus: frigidorum à calidis, calidorum à frigidis, quo se mutuò foueant. Haud igitur reuolutio celerior astra substinet, vt dicit Empedocles, neque quintæ illius essentiæ conditio quam somniat Aristoteles. Astrorum verò quædam, quia in iis igneum excedere Oceanū cōsta, ignea intelliguntur, vel ignes, sunt, putà soles qui per se se lucent: alia vero cum in iis aqua exuperet & circummeant proprios à quibus refoueantur ignes, sunt tellures: aliæ, quæ ex diaphana superficie lucentibus expositæ radÿs lumen emittunt infirmius.

ARTIC. LXVI

HIc minimè nobis aliÿsque rectius iudicantibus credibile est purum, simplicem, immixtumque ignem alicubi subsistere nec constare posse, vbi mundus incolis vacuus & inanis, bonitati dignitatique naturæ non congruit: sicut neque aquam seorsum alicubi subsistere possibile est, vnde ne aquea quidem animalia nutrirentur atque vegetarent, quibus etiam aliquid mutuæ voracitati præesse oportet ex quibus constent & vbi sistant. Necessariò igitur ex astris ita constitutis quædam circa alia mo-

uetur, quemadmodum tellures circa istum solem; quædam vero intra alia circuunt, sicut igneus iste sol in medio aqueorum corporum. Fit autem vt planetarum quorundam circa soles hi quidem maiores, hi verò minores circuitus conficiant, vt tarditate elongationi compensent, vt inquam æquè calefiat tarditiore motu distantius, atque velociore propinquius. Soli autem in medio sufficit vt minorem per circuitum moueatur, aut (vt quidam iudicant) maneat. Hæc si ita sint, quam longè Aristoteles noster aberrat à veritatis scopo vbi causam adducit, qua stellarum quædam tardius, quædam velocius, quædam pluribus, quædam paucioribus motibus exagitantur. Cur ille pluribus innumerisque, hi verò vna tantum stella illustres torqueantur orbes.

ARTIC. LXVII.

ASTra igitur omnia vltra Saturni distantiam quorum nullus motus videtur, atque scintillant, ignes sunt, siue soles: ad exiguum enim vt iste intra terras suas, illos itidem intra terras moueri consentaneum est. Ipsorum tellures seu aquæ non sunt visibiles propter distantiæ momentum, & quia sunt minora corpora, vt

potè ita ad suos soles proportionabiles, vt istæ ad vnum istum, & quoniam quæ speculariter lucent, non adeò longius visibilitatis diametrum seruant, atque principaliter splendentia. Hinc Saturnus, Iupiter, Mars, Venus, Mercurius, & Luna, quæ sunt tellures, faciem ostendunt nobis igneis astris persimilē ob eā quam modo diximus propinquitatē: id enim ab ipsis non accideret si à nobis tantum distarēt quantū regiones aliorum igniū vltra Saturnum. E speculo enim propinquo lumen simile apparet atque è propinqua candelæ luce, sed ambobus distantiam nactis, longè, incomparabiliterque citius visio specularis quam veræ lucis euananescit. Qamuis igitur circa alios soles vltra istam circa nos regionem astrorumq; sinodum sint (vt ad cōmunē vitā necessariò sunt) aliæ tellures: neque tamen ad se se ostendendum nobis, neque ad eos soles eclypsandos habent potentiam. Apud nos enim, Luna Solem eclypsat; non propter eam quam ad ipsum poßit habere propinquitatem, sed ob eam quam ad oculos nostros adepta est.

ARTIC. LXVIII.

OPtimè alicubi dictum extat ab anima cogente seu operante æterna seruari corpora illa: hæc enim vnitas, copulatas, ordinatasque seruat animalium partes, quæ animæ

recedente dissoluuntur. Porrò anima id immediatè facit aque proximè, primò autem atque principaliter causa illa quæ dicitur omnibus insitus vitæ spiritus, & infinite diffusa mundi anima. Nequit igitur inde negociosam tristemq́; consequi vitam: non enim eadem conditio est animalibus illis atque nobis: ibi enim omnia natura & naturaliter potentißimè aguntur, vbi non a continente mutuata vita & anima, sed propria est: nec aliquid extraneum atque repugnans habent quod amota vectent trahantque, neque proximum habent in quod commigrent, mutenturue oppositū: sed liberè contrarium euadunt, & cognatum sibi persequntur. Sicut igitur nos absque labore solicitudineque videmus, respiramus, dormimus, & in nobis anima opera vitæ peragente, humores spiritusque vitales continue circuunt, ita præcipua illa mundi membra diuinißimaque animalia sollicitum minime laborem subire decet, quibuscum conuenientißime aguntur omnia. Quid igitur ab anima cogente formidat Aristoteles? 6. Detur igitur illis ab immenso circumcirca spacio æquè facillima quàque versū progreßio, definiat illis certus vitæ finis atque neceßitas certos determinatosque circuitus, qui non reuehentibus spheris (in quibus veluti claui adfixa consistant) neque pellentibus girantibusue ministris remeent: sed

ent: sed per eam animæ vim quæ tantò certius in præcipuis integris, diuinioribusq; corporib9 agnoscitur, quanto ignobilior nobis est conditio quib9 illa spiritum corpusque suppeditant, quique viui ex eorundem gremio prodimus & alimur, & in hæc tandem resoluti recipimur. Astra igitur sunt quæ (facilius incomparabiliter quam aues per aerem pennis diuidendum) per æthereum spacium se transferunt: id enim non minus natura comparatum est, quam vulgares imaginari possint, terræ in medio quiescere naturaliter conuenire. Cur igitur aerem vel aere subtilius. vel spiritualissimã, vanissimãq; vtpote adeo rariorem quintam illam essentiam querimus, nempè quæ tam vasta solidissimaque corpora rapiat potius, quam penetretur ab illis & peruadatur? 17, 56.

ARTIC. LXIX.

FRustra Aristoteles horum circularem motum veluti geometricè regularem persuadere nititur. Si igitur vllam ij motus regularitatem habent, ea certè non est ad circulum, sed ad eam causæ rationem propterquam mouentur. Neque benè Arist. ad simplex aliquod principium & elementum motus differentias refert, quæ ad ipsa integra ex ætherogeneis partibus constantia animalia referendæ erant, astra videlicet:

quorum substantia ex quattuor elementis necessario conflatur. 41. 42.

ARTIC. LXX.

HInc ab omni ratione atque sensu alienum constat quod aqua circa terram, aer circa aquam, ignis circa aerem fingitur: vbi in vnum corpus, & vnicam sphericam superficiem ista concurrunt omnia. 30. 31. Aut igitur non magis dicere possumus aquam supra terram, quam terram super aquam: aut, si comparare licet, verißimam Thaletis sententiam, & Theologorum confirmemus, qui terram fundatam super aquas ab initio predicarunt. 78. aqueum enim est spißißimum, concretißimum, & consequenter grauißimum.

ARTIC. LXXI.

HAec si ita se habeant, de præcipuis corporibus nullum est quod conuexe sphericā superficiem habeat, præter aerem purum seu cœlum, quem si cœlum denominare licet, totidem certè cœli sunt quot astra: quibus tamen cum moueri contingat, euenit vt modò in vnum, modò in aliud sese recipiant. Quod si quis quærat a nobis, quis tandem in hac infinitudine corporum ordo, & quæ perfectę vniuersitatum regio-

nes? Regiones singulas dicimus, quæ singulas ad proprium solem planetarum synodos complectuntur, ad aliam mundi significationem.

ARTIC. LXXII.

CErtis ergo legibus infinita astra in immenso spacio feruntur, vniuerso vno, infinito, immobiliq; manente. 2 .cuius sicut nulla est circumferentia, ita nec vlla forma, & in quo ætheris est finire atque terminare singula, quæ non minus apta sunt ad motum (siue per se moueantur per æthereum campum, siue magis secundum deferentis lationem) si angularis, quã si sphericæ sint figuræ. 27. 29. Nullum interea astrorum, quodcumque & qualecumque sit illud, siue sol inquam fuerit siue tellus, in medio vel in vniuersi circumferentia dicere posses: vbi omnium singula circumquaque infinitum spacium habere conuincentur. Hinc habes quomodo omnia dicere poßis in medio, vel nulla. Apparebit autem omnibus astrorum incolis se vniuersi medium obtinere, sicut enim & in superficie cuiusque globi hemisphery, horizontisque centrum in quolibet æque quolibet puncto respectu diuersorum desumi potest, ita in quacumque regione, punctoue ætheris immensi maneas, vndique in orbem astris certis numeris interuallisque ab inuicem di-

cem distinctis. immensi spacij faciem prospicies. Denique dum ipsum circa propriæ magnitudinis centrum reuoluetur, totum immensum, vniuersisque cum astris vniuersum, veluti continuum vnum motu rapidissimo circumuolui videbitur. Hinc est quod cum tellus ad suam suorumque vitam (ne vel frigore torpeat, vel absumatur igne) ad solem vnde fomentum capiat omniquaque conuertitur, efficitur vt eius vertiginis ignorantia fixorum deferentes orbes, stelliferumque illud omnia raptans imaginari faciat: & vniuersam naturæ in sensibus perturbatioribus ignorantiam confirmet: Cum tamen vt istis in medio quiescere videtur, ita (quale vnum ex nobilissimis astris) in hac æthereæ regionis parte regulatè pro naturæ exigentia suum spacium ad definitos polos peragrans, circa proprium centrum conuertitur, atque solem.

CIRCA TERTIVM LIBRVM.

ARTIC. LXXIII.


Ertij libri intentiones sunt eius pars considerationis, quæ est in libris de generatione & corruptione, nec facit ad finem disputationis huius de mundo, nisi fortasse Arist. sapiat & hanc motionem lationem quandam appellans. Ibi ratione qua destruit generationem esse ex superficiebus, tollit suam materiam primam è medio, generationem enim elementorum non esse ex non corpore decernit.

CIRCA QVARTVM LIBRVM

ARTIC. LXXIIII.


Isciplina de graui & leui que est apud Aristotelem prorsus peruersa est, pro quo hasce verißimas ponimus propositiones. Graue & leue non dicuntur de corporibus naturalibus, naturaliter constitutis, nec de ipsis integris sphæris nec partibus earum: si terreno globo & cuicumque astro constantes in vna sede conueniat habere partes. Porro partes telluris naturali-

naturaliter circularem motum habent vt patet in aquis emergentibus, quæ postquam emerserint, redeunt: sicut & in aliis eiusdem etherogeneis partibus est manifestum, dum in ea & lapides extrudūtur & intrudūtur: vbi nō secus quā in animalibus accidit, in quibꝰ cōtinuè fit emissio & immissio omniū: particulæ enim tum ossis, tū carnis, tum aliorum homogeneorum ad cutim transmittuntur. Effluxus igitur influxusque partium continuus est in terra sicut & in animalibus particularibus: vnde euenit vt partes centrales quandoque circumferentiales euadant, vicissimque de circumferentia centrum, aliásque locorum differentias repetant. Hinc continuè facies telluris variatur, vt modò mare sit vbi vndæ fuerant, modô montes appareant vbi valles subsederant (quodque frequentius apparet) modò vaporum exaltatio, modò pluuiarum casus eueniat, modo lutosum aliquid in lapides inspissetur, modo spissi lapides in puluerem resoluantur: in quibus omnibus nullum violentum concesserim, sed naturalem prorsus omnem motum: illud enim violentum tantummodo appello quod extra vel contra naturæ opus atque finem contigerit. Contra naturam igitur est vt omnes telluris partes centrū nō obtineāt, neque aliquandò ad globi circumferentiam transferantur. Quodque de

q, de terra dicimus, idem in sole inque cæteris astris intelligimus, in quibus ex eisdem principiis compositio verificatur. Nihil ergo natum est ferri à medio quod & ad medium ferri non sit (natura illud imperante) natum, quia particulæ telluris non plus quiescere comperiuntur quam cuiusque animalis particulæ. Longè igitur à naturali contemplatione desipit quod ait Arist. 22. quod si quis transponat terram vbi nunc est luna, non fertur partium vnaquæque ad ipsam, sed ad suum locum. Imò dicimus partes vnius terræ non habere maiorem potentiam vt sint partes alterius, quam partes vnius animalis vt sint alterius animalis partes. Motus quoque rectus nulli sphęræ est naturalis sed partibus sphęræ extra propriam regionem positis, quæ in suæ sphære corpore non rectà mouebuntur, sed vt dictum est supra in articulo proprio. Hæc circulatio non geometrica, sed physica est.

ARTIC. LXXV.

SI grauissimũ est quod rapidissimè velocissimèq; tendit ad medium, grauissimũ omniũ aer est, post ipsum grauior est aqua, vltimò terra. Immo nullam terra simplex grauitatem habere videbitur si ex partium consistentia grauitas esse

Alia.

Alio quoque grauitatis sumpto principio & causa. Si grauißimum in medio debet esse, compositum id sit oportet, in quo maximè aqua prædominetur: quare purum terræ illud elementum eius corporis centrum obtinere impoßibile est. Corpora enim spissa sunt grauia, spißioraq; grauiora: omnis autem spißitudo est a concretione partiū seu atomorum, omnis concretio ab agglutinatione, agglutinatio omnis ab aqua.

ARTIC. LXXVI.

SE ipsum apud nos accusat Aristoteles vbi super antiquos, qui simpliciter graue simpliciterq; leue non cognouerunt, se iactat. Nobis enim graue & leue respectiuè dumtaxat, minimè autem simpliciter dicuntur: Qui enim absolutè graue esse potest vbi si ignis a nobis tanquā ad sphæram suam, ad solem ascenderet, solaribus ipsis descendere certè dicetur, sicut & ab illis ascendit ad nos descendens?

ARTIC. LXXVII.

NVsquam natura practicat leue sursum & graue deorsum (quomodocumque capias sursum atque deorsū) siue eò respicias quod vbique est medium, siue quod altißimi montes & aquarum

aquarum planities in conuexa terræ superficie perpetuò concurrunt.

ARTIC. LXXVIII.

AVt elementum nullum ab alio absolutum inuenitur, aut si aliquod eiusmodi est, ipsum est aer: ignis enim quamuis penetratiuissimus, numquam tamen nisi ab aliquo vel in aliquo simplici, vel composito inuenietur, quale est humidum pingue vel huic proportionale. Satis interim est quod aer circa globos purus alicubi repperiatur, quandoquidem ad circumferentiam centrumque, compositorum huiusmodi nihil potest esse simplex præter minima. 39. 37.

ARTIC. LXXIX.

NOn bene inde demõstratur aer in sua sphera grauior, quia vtres aere pleni citius descendunt quam vacui: ibi enim inspissatus aer est, & plures sub minori dimensione partes obtinens: neque cum totius sphera motu concurrere potest, vt & aqua in cimba, vel dolio non perindè mouetur atque in fluuio, atque mari. Mitto quod hic qui in vtribus inspissatus de[...]mitur, idem calore attenuiatior sursum tendere dicitur. Frustra igitur Aristoteles aliquid verè

veri de aere vel alio elemento definire nititur, postquam ipsum à sua naturali dispositione semotum acceperit. Ad hæc cur aqua Aristoteli non est leuis in regione sua, si è profundo ad superficiem terræ videatur emergere? Cur item aer ad ignis regionem illam non ascendit vbi ignis nihil aliud preter attritum aerem esse creditur: & sistente cœlo nihil esse posse præter aerem conuincetur? 39. Si item omnia grauitatem habent præter ignem, certè ignis qui in concauo cœli fingitur, æquiuoce est cum eo qui apud nos est, ad quos numquam inde descendit: à quo enim deorsum trudi potest? quid est quod ipsum pellat huc? quomodo in horum compositionem venit? quomodo (consequenter) elementi munus exequitur? 29. 39.

ARTIC. LXXX.

GRauitas & leuitas nihil aliud est præter appulsum partium ad locum suum, in quo vel moueantur vel quiescant, & per quod ferri debeant: pro quo quælibet pars tum grauis tum leuis esse intelligitur: quæ vbi nata est esse degens, nec grauis est neque leuis. relinquitur ergo grauis leuisque ratio respectiua tantum, per absolutas enim differentias mundi locales nullum est. Quocirca benè Plato in Timæo dicit, in cœlo non esse


non esse aliud quidem sursum, aliud verò deorsum, si ex omni parte simile est, & vndique oppositis pedibus ambulabit vnusquisque ipse sibi. Hunc frustra refricat Aristoteles, sicut etiam cum grauius bene dicebatur in Timæo esse quod ex pluribus est. leuius autem quod ex paucioribus.

CONCLVSIO

VIdeant igitur domini Peripatetici, an ex fide viri, exque credendi consuetudine deceptis, an firma aliqua ratione munitis, vnà cum eorum principe, tam toruis oculis antiquam philosophiam intuentibus, ista resurgentis veritatis semina sordescant. Nos etenim interim postquam quorundam nouas (si quas habent pro sua causa) rationes audiuerimus, propositorum articulorum ampliores rationes elucidabimus.

FINIS.





...igit · et ä ingu
...s · ubi dominus eum · ut in
...certa a sermone · Nam ubi
es · et a se' nacius iudicio si ne
cium nouerit suū · qui venit
ad me p̄ficiant sm aūt non
est ut sancti · Postulat aūt
mater filiorum zebedei · et ewe

In apparicione sc̄i mich
chaelis omnia sicut in
festo ipsius Excepto q
quibus nocturni dic
añ eiusdem nocturni
psalmus signatus et ...
antiphonis responsoriis ...
Alia Ant · primū L...

... ad illud ... Concordans ...